exclusa inque uicem fastus patiare superbos
et quae fecisti facta queraris anus!
has tibi fatalis cecinit mea pagina diras:
euentum formae disce timere tuae!

35 uices Vo F^4 patiere D V; *sed cf. app. ad u. 13* **36** ut D quereris *Heinsius*; *sed cf. app. ad u. 13* **38** domin(a)e F L P D V (*corr.* F^4 V^2); *cf. Stroh 167 adn. 90* explicit liber tertius incipit quartus F : propertii aurelii nautae liber quartus incipit ad hospites D

LIBER QVARTVS

1

⟨PROPERTIVS⟩

'Hoc quodcumque uides, hospes, qua[m] maxima Roma
ante Phrygem Aenean collis et herba fuit; [est,
atque ubi Nauali stant sacra Palatia Phoebo,
Euandri profugae concubuere boues.
fictilibus creuere deis haec aurea templa,
nec fuit opprobrio facta sine arte casa;
Tarpeiusque pater nuda de rupe tonabat
et Tiberis nostris aduena bubus erat.

1 **1** Propertius *add. edd. uett.* quam ω : quae ς, *corr. L. Carrio* est *om.* F **2** phryge enea N **4** procubuere V Vo (*fort. recte*); *uox* concubuere, *obsceno sensu carens, defenditur a Sh. Bailey 216, qui confert 4,8,36, Cic. rep. 4,4, Cypr. epist. 4,4,1, Varr. ling. 7,78; cf. etiam Pasoli Conu. 33 (1965) 627 et uide contra Hanslik Herm. 91 (1963) 181; exempla a Sh. Bailey allata, quae olim improbaui (cf. Fedeli 75), nunc magni momenti mihi uidentur, excepto Cypr. epist. 4,4,1* **6** non F L P D V (*corr.* V^2) **7** tarpetiusque N : tarpeusque F **7** fonebat F (*corr.* F^4) **8** nec ... rostris *Postgate*; *sed cf. B.-B. 323* tutus F L P D V (*corr.* F^4 V^2) : bobus P^2; *cf. Ouid. fast. 5,639sq.* nostras ... Tuscus (*Havet*) *Barber*

qua gradibus domus ista Remi se sustulit, olim
unus erat fratrum maxima regna focus.
Curia, praetexto quae nunc nitet alta senatu,
pellitos habuit, rustica corda, Patres.
bucina cogebat priscos ad uerba Quiritis:
centum illi in prato saepe senatus erat.
nec sinuosa cauo pendebant uela theatro,
pulpita sollemnis non oluere crocos.
nulli cura fuit externos quaerere diuos,
cum tremeret patrio pendula turba sacro,
annuaque accenso celebrare Parilia faeno,
qualia nunc curto lustra nouantur equo.

9 quod N : quo F L P Δ (*prob. Pasoli IV 63*), *corr.* ς; *de re cf. Hanslik Herm. 91 (1963) 182, Wistrand 64sqq.* quot (quo *Ries, prob. Sh. Bailey 216*) . . . sustulit! *Dieterich*; *cf. tamen Watt ClQ 69 (1975) 155* qua gradibus domus ista, Remi se sustulit olim: *dist. Watt* (*fort. recte*) **13** bucina cogebat priscos ad arma Quirites *Isid. orig. 18,4,1*; *sed cf. Knoche Gn 12 (1936) 269, Fedeli 78; u. 14 collato, deducere possumus Isidori lectionem* (ad arma) *haud dubie refellendam esse* **14** prato saepe ω *et Lact. inst. 2,6,14* : prati saepe (*i. e.* saepto) *Heinsius* (*prob. Luck*); *fort. recte: uide nuperrime D'Ambrosio GiornFilFerr 2 (1979) 101sq.; cf. tamen Rothstein II 193, Sh. Bailey 126 (qui perperam* nempe *pro* saepe *coni.: cf. contra Williams JRSt 47 [1957] 246)* erant ς; *sed cf. K.-St. I 40, Löfstedt Synt. II 118* **15** cauo] suo P D V : *om.* F (cano *add.* F^4) L; *cf. Rothstein II 193: de* cauea *est sermo* **18** pendula] credula *Liuineius* : sedula *Heimreich*; *sed uocem* pendula *recte interpretantur Rothstein II 194, Binder MH 24 (1967) 110–115, Scholz RhM 112 (1969) 43sqq., qui tamen de feriis Latinis, non de Compitalibus hic agere Propertium censet; cf. etiam Pasoli Latin. 18 (1970) 19sqq.* **19** annuaue *J. H. Voss* : annua at *Lachmann*; *cf. tamen de* -que *cum ui aduersatiua post enuntiatum negatiuum Fedeli 79, Pasoli Conu. N. S. 3 (1969) 47sqq., Latin. 18 (1970) 24* celebrate D : celebrata (*sc.* sunt) *Phillimore* (*prob. Camps IV 52*) : celebrante *Housman*; celebrante *accipiunt nonnulli uiri*

Vesta coronatis pauper gaudebat asellis,
ducebant macrae uilia sacra boues.
parua saginati lustrabant compita porci,
pastor et ad calamos exta litabat ouis.
uerbera pellitus saetosa mouebat arator,
unde licens Fabius sacra Lupercus habet.
nec rudis infestis miles radiabat in armis:
miscebant usta proelia nuda sude.
prima galeritus posuit praetoria Lycmon,
magnaque pars Tatio rerum erat inter ouis.
hinc Tities Ramnesque uiri Luceresque Soloni,
quattuor hinc albos Romulus egit equos.

docti, inter quos B.-B. 323, Enk Homm. Herrmann 341sq., qui pro ablatiuo absoluto cum enuntiato temporali coniuncto Ouid. met. 5,362 confert; uide tamen Binder MH 24 (1967) 109; tradita recte tuentur Wackernagel Vorles. II 312, Dumézil Er 54 (1956) 233sqq., Scholz RhM 112 (1969) 39sqq. palilia Δ; *cf. Deubner MDAIR 36–37 (1921–22) 28sqq. post u.* 19 *lacunam duorum uersuum stat. Havet* **20** curuo Vo V^2 **21** uestra N F L P (*corr.* F^4 P^2); *cf. Ouid. fast. 6,311, Frazer IV 230* **23** pauca *Lachmann* : parca *Baehrens*; *de adiect.* paruus = paucus *cf. Svennung Untersuch. 323. 641* **25** uellera ς; *sed cf. Sil. 13,330* uerbera laeta mouens festo per compita coetu *et Tränkle 52* **28** nuda] facta F L Δ (*corr.* F^2 V^2) : cruda *De Rooy*; *sed cf. Stat. Theb. 1,413* nudam . . . pugnam, *Sil. 6,46* certamine nudo, *Gratt. 153* nudo Marte; *uide Housman Class. Pap. 255, Sh. Bailey 217, Marr ClQ 64 (1970) 160* **29** lygmon N Vo : ligmon F P L D V, *corr.* ς **30** tacito N : ratio Vo **31** titiens N Vo : ticiens L P V : ticeus F : ticieus F^4 : taciens D, *corr.* ς; *cf. Varr. ling. 5,81, Mommsen Staatsrecht III 97, Rothstein II 379, B.-B. 324* coloni F L P (*corr.* P^2) D V : seueri *Housman*; coloni *def. Rothstein II 198; sed cf. Dion. Hal. 2,37,2, Cic. diu. 1,79 et quae disputat Dieterich RhM 55 (1900) 201sq.*

quippe suburbanae parua minus urbe ⟨Bo⟩uillae
et, qui nunc nulli, maxima turba Gabi.
et stetit Alba potens, albae suis omine nata,
ac tibi Fidenas longa erat isse uia.
nil patrium nisi nomen habet Romanus alumnus:
sanguinis altricem non pudet esse lupam.
huc melius profugos misisti, Troia, Penatis;
heu quali uecta est Dardana puppis aue!
iam bene spondebant tunc omina, quod nihil illam
laeserat abiegni uenter apertus equi,

33 paruae ς (*prob. Camps IV 55*) : paruo *Nairn* (*cf. etiam Garrod JPh 30 [1907] 87 et uide contra Guey REL 30 [1952] 196*); *tradita deff. Rothstein II 199, Fedeli 84; recte interpretatus est iam Kuinoel*: "parua urbe, *sc.* Roma, existente (*abl. abs.*) Bouillae minus erant suburbanae, adeoque magis ab ea distabant" paruo minor (*sc.* turba) *Barber* Bouillae] uiol(a)e ω, *corr.* ς **34** *et* **36** *inter se mut. L. Müller*; *cf. Marr ClQ 64 (1970) 160* **36** ac tibi] hac ubi ω (*prob. Guey REL 30 [1952] 198*) : hac tibi ς : hinc *uel* tunc ubi *Ritschl* : magna ubi *Rothstein, corr. Baehrens*; *cf. B.-B. 325, Fedeli 84* longe . . . uias ω (*cf. Haupt Opusc. I 94, Rothstein II 379*), *corr.* ς ire F L P D V : ipse Vo V^2 **37–38** nil . . . alumnus? / . . . non putet esse lupam? *dist. Van Sickle DArch 8 (1974–75) 130* **38** putet N F L Δ : putat ς : patet *Baehrens* (*prob. Enk Comm. crit. 294; sed cf. Waszink Homm. Herrmann 787*); putet *deff. B.-B. 325, Hanslik Herm. 91 (1963) 104; sed* pudet *dilucide tuetur Pasoli Scr. G. Turrini 584–588; cf. etiam Camps IV 56, Fedeli 85* nunc pudet *Volscus* : num pudet *Burman* **40** heu] oh P^2 : en ς (*prob. Enk Comm. crit. 294*) : huc *Palmer* (*prob. Guey REL 30 [1952] 201*); *sed cf. Housman ad Lucan. 5, 354, qui de interiectione* heu *'non dolentis' Ouid. fast. 2,408, Lucan. 5,354 confert; quibus exemplis adde 2,29,30; 3,15,6; Val. Fl. 1,744; Mart. 7,47,3 post u.* 40 *uu.* 47–54 *transt. Postgate, uu.* 47–52 *Housman*; *cf. B.-B. 326* **41** illos (*sc.* Penates) *Schrader* (*probb. B.-B. 326*); illam (*sc.* Troiam) *def. Waszink Homm. Herrmann 790; sed* illam (*sc.* Dardanam puppim) *tuetur Fedeli 86*

cum pater in nati trepidus ceruice pependit
et uerita est umeros urere flamma pios.
tunc animi uenere Deci Brutique secures,
uexit et ipsa sui Caesaris arma Venus,
arma resurgentis portans uictricia Troiae.
felix terra tuos cepit, Iule, deos,
si modo Auernalis tremulae cortina Sibyllae
dixit Auentino rura pianda Remo,
aut si Pergameae sero rata carmina uatis
longaeuum ad Priami uera fuere caput:
'uertite equum, Danai! male uincitis! Ilia tellus
uiuet et huic cineri Iuppiter arma dabit.'
optima nutricum nostris lupa Martia rebus,
qualia creuerunt moenia lacte tuo!
moenia namque pio coner disponere uersu:
ei mihi, quod nostro est paruus in ore sonus!
sed tamen exiguo quodcumque e pectore riui
fluxerit, hoc patriae seruiet omne meae.

45 hinc *Heinsius* (*prob. Camps IV 57*); *sed cf. Waszink Homm. Herrmann 791* decii N L P : decis F **46** rexit *Heinsius* : auxit *L. Müller*; *sed cf. Waszink Homm. Herrmann 791* Caesaris] sanguinis (*sc.* Aeneae) *Barber* : coniugis (*sc.* Vulcani) *Sh. Bailey, coll. Verg. Aen. 8,608sqq.*; *tradita iure def. Waszink Homm. Herrmann 791, coll. Ouid. met. 15,844sq., Petron. 124, uu. 266sq.* **49** uetulae *Garrod*; *sed de metonymia cf. 1,5,15* tremulus . . . horror, *Cic. Arat. 68* tremulo . . . frigore **51** seu F (*corr.* F^3) nata Vo F^4 **55** nutritum L D V (*corr.* V^2) **57** conor ς (*prob. Camps IV 61*); *simul audi tamen, cum B.-B. 327,* si mihi liceat; *cf. etiam Abel Anred. 15, qui Ouid. am. 1,11,26 confert* **58** quod] quam *Francius* (*prob. Rothstein II 380, qui Ouid. trist. 1,2,45 confert*); *tradita def. Sh. Bailey 220, coll. Ouid. trist. 1,6,29* ei mihi, non magnas quod habent mea carmina uires **59** exigui F **60** seruiat ς; *cf. Ouid. Pont. 4,8,65sq.* si quid adhuc igitur uiui, Germanice, nostro / restat in ingenio, seruiet omne tibi

Ennius hirsuta cingat sua dicta corona:
mi folia ex hedera porrige, Bacche, tua,
ut nostris tumefacta superbiat Vmbria libris,
Vmbria Romani patria Callimachi!
scandentis quisquis cernit de uallibus arces,
ingenio muros aestimet ille meo!
Roma, faue, tibi surgit opus: date candida, ciues,
omina et inceptis dextera cantet auis!
sacra diesque canam et cognomina prisca locorum:
has meus ad metas sudet oportet equus.'

⟨HOROS⟩

'Quo ruis imprudens, uage, dicere fata, Properti?
non sunt a dextro condita fila colo.

61 dicta] scripta *Burman* : dicta *in crucibus inclusit L. Müller*; *cf. tamen S. Mariotti, Lezioni su Ennio, Pesaro 1951, 104–106, Alfonsi Herm. 83 (1955) 383sq.* (dicti studiosus = φιλόλογος) **65–66** *fragmentum esse censet Lütjohann* : *del. Allen* **65** quisquis] quasuis F L : si quis P *in ras.* Vo V^2 : asis F^4 scandentisque Asis *Richmond*; *cf. tamen B.-B. 327, Fedeli 91* cernet F **66** extimet F P D Vo **68** omnia L D V incertis F (*corr.* F^4) : in tectis L D : intectis V; *cf. Leo RhM 35 (1880) 442* **70** sudet] tendat *Heinsius*; sudet *tuetur Pfeiffer Herm. 63 (1928) 322 adn. 4, id. Callim. I 5; adde Wimmel Kall. in Rom 105, Tränkle 99, Kenney, Ouidiana. Recherches sur Ovide, Paris 1958, 206* **71** Horos *add. edd. uett. nouam elegiam incipiunt Itali*; *cf. Wimmel Kall. in Rom 277, Sandbach ClQ 56 (1962) 263sq.* uaga ς : caue *Schippers* : fuge *Liuineius*; *cf. Lachmann 337: "quo ruis? inquit, quo per loca caeca tibique non adeunda uagaris?"* facta ς : tanta *Wilkinson*; *sed uox* fata *idem est ac* tua fata; *quod adtinet ad uocem* Properti, *ea pro uocatiuo haud dubie accipienda est: cf. Pasoli IV 63* imprudens? fuge *Liuineius, prob. Goold HStCPh 69 (1965) 80; 71 (1966) 91* uage?... Properti? *dist. Rothstein* caue (*Schippers*) discere (ς) fata *Sandbach ClQ 59 (1962) 269: cf. tamen ibid. 276* **73** cantas ω : quantas *Buecheler, corr. Baehrens*; *cf. Callim. Hymn. 6,17* μὴ μὴ ταῦτα λέγωμες ἃ δάκρυον ἄγαγε Δηοῖ

accersis lacrimas canta⟨n⟩s; auersus Apollo:
poscis ab inuita uerba pigenda lyra.
certa feram certis auctoribus, aut ego uates
nescius aerata signa mouere pila.
me creat Archytae suboles Babylonius Orops
Horon, et a proauo ducta Conone domus.
di mihi sunt testes non degenerasse propinquos,
inque meis libris nil prius esse fide.
nunc pretium fecere deos et fallitur auro
Iuppiter. obliquae signa iterata rotae,
felicesque Iouis stellas Martisque rapaces
et graue Saturni sidus in omne caput,
quid moueant Pisces animosaque signa Leonis,
lotus et Hesperia quid Capricornus aqua

aduersus F D V (*corr.* V^2); *cf. Housman Class. Pap. 282* apollo est P accersis lacrimas; auersus cantat Apollo *Sandbach* (*prob. Goold HStCPh 71 [1966] 91*) : *alii alia* **75** aut] haud ς; *cf. tamen Verg. Aen. 10,630, Hor. ars 42, Fraenkel Hor. 358 et adn. 3, K.-St. II 101* **76** errata F L P (*corr.* P^2) **77** horus N *in mg.* **78** orops F^4 **79** dic N : dii F L P Δ, *corr.* ς sint Vo propinquis ς; *sed de* degenero + *acc. cf. Ouid. met. 7,543, Pont. 3,1,45, Stat. silu. 3,1,160, Tränkle 70* **81–88** *de interpunctione cf. Enk Comm. crit. 297, Fraenkel Kl. Beitr. I 75, Hanslik Herm. 91 (1963) 185* : et (fallitur auro / Iuppiter) *dist. Tyrrell* (*sed cf. Fedeli 94*) : (et fallitur auro / Iuppiter) *dist. Schippers* (*prob. Luck*) : et fallimus auro (Iuppiter!) *Housman* **81** nunc] in F (*corr.* F^4) L P D deis et *Lütjohann* : deo sed *R. Reitzenstein* **82** Iuppiter] turpiter *Damon*; *cf. Sh. Bailey 222* **83–84** *post u.* 76 *transt. Richmond* (*prob. Goold HStCPh 71 [1966] 99*) **83** rapacis N L P Δ : capacis F, *corr.* ς (*cf. Ouid. Ib. 213sq., Ps. Verg. Aetna 242*); *haud dubie* rapacis, *ut censet Pasoli IV 63, pro acc. plur. accipi potest; sed suspicari licet exitum in* -is *e proximo uerbo* (Martis) *originem ducere* **85–86** *post u.* 102 *transt. Richmond* (*prob. Goold HStCPh 71 [1966] 99*), *post u.* 108 *Housman* (*prob. Marr ClQ 64 [1970] 164sq.*) **85** moneant L D V (*corr.* V^2); *cf. Germ. frg. 4,111 B., ThLL VIII 1546,1–8* **86** qui N

dicam. 'Troia cades, et Troica Roma resurges'
  et maris et terrae longa † sepulcra † canam.
dixi ego, cum geminos produceret Arria natos
  (illa dabat natis arma uetante deo),
non posse ad patrios sua pila referre Penates:
  nempe meam firmant nunc duo busta fidem.
quippe Lupercus, equi dum saucia protegit ora,
  heu sibi prolapso non bene cauit equo;
Gallus at, in castris dum credita signa tuetur,
  concidit ante aquilae rostra cruenta suae:
fatales pueri, duo funera matris auarae!
  uera, sed inuito, contigit ista fides.
idem ego, cum Cinarae traheret Lucina dolores
  et facerent uteri pondera lenta moram,

87-88 *post u.* 52 *transt. L. Müller, post u.* 54 *Baehrens, post u.* 68 *Marcilius* (*prob. Van Sickle DArch 8 [1974-75] 136sqq.*), *post u.* 70 *Scaliger* : *del. Passerat*; *cf. Ouid. fast. 1,523sqq., Norden Kl. Schr. 409, Leo Tib. 11, Hanslik Herm. 91 (1963) 185* **88** longa sepulcra] longa pericla ς (*probb. Sh. Bailey 222, coll. Verg. Aen. 10,57* totque maris uastaeque exhausta pericula terrae, *Hanslik Herm. 91 [1963] 185*); *tradita defendere olim conatus sum (cf. Fedeli 96), coll. 1,22,3* si Perusina tibi patriae sunt nota sepulcra, *Catull. 68,89* Troia, nefas, commune sepulcrum Asiae Europaeque; *cf. etiam Van Sickle DArch 8 (1974-75) 136 adn. 71. De uniuersi conflagratione hic agi perperam censet Dieterich RhM 55 (1900) 211sq.* **89** accia D V (*corr.* V^2) F^2 : arua L **90** dabit D **93** eques *Heinsius* (*prob. Camps IV 66; sed cf. Nethercut WSt 81 [1968] 95*) **94** equum *Richmond* (*prob. Goold HStCPh 71 [1966] 94sq.*; *cf. tamen ThLL III 636, 3sqq.*) **95** et D V (*corr.* V^2) **96** rostra] signa Vo V^2 **97** Martis auari *L. Müller* : matris amara *Hosius*; *cf. tamen Rothstein II 209, Sh. Bailey 222* **98** inuito] in uno F L P D V (*corr.* F^4 V^2)

'Iunonis facito uotum impetrabile' dixi:
  illa parit: libris est data palma meis!
hoc neque harenosum Libyae Iouis explicat antrum,
  aut sibi commissos fibra locuta deos,
aut si quis motas cornicis senserit alas,
  umbraue quae magicis mortua prodit aquis:
aspicienda uia est caeli uerusque per astra
  trames, et ab zonis quinque petenda fides.
exemplum graue erit Calchas: namque Aulide soluit
  ille bene haerentis ad pia saxa ratis;
idem Agamemnoniae ferrum ceruice puellae
  tinxit, et Atrides uela cruenta dedit.
nec rediere tamen Danai: tu diruta fletum
  supprime et Euboicos respice, Troia, sinus!
Nauplius ultores sub noctem porrigit ignis
  et natat exuuiis Graecia pressa suis.

101 iunoni ς; *sed cf. Catull. 68,65* iam prece Pollucis, iam Castoris implorata, *Verg. Aen. 11,4* uota deum primo uictor soluebat Eoo *aliaque exempla ap. Sh. Bailey 222* facite ω : tacite *Sudhaus, coll. Apul. apol. 54* (*cf. tamen Hanslik Herm. 91 [1963] 187*), *corr. Lachmann* (uotum facito *coni. iam Burman*); *de tota re cf. Fedeli 98* uotum facite ς, *quo probato* 'Iunonis uotum facite impetrabile' *dist. R. Reitzenstein Herm. 50 (1915) 474sq.* : facito uotum; impetrabile! (*sc.* erit) *dist. Sh. Bailey 233* (*prob. Hanslik Herm. 91 [1963] 187*) impenetrabile P : imperabile Vo : impetrabite *Passerat*; *cf. Plaut. Merc. 605, Most. 1162sq., Dieterich RhM 55 (1900) 214sq., Fedeli 98* **103** libio F (*corr.* F^4) : libyci ς (*probb. B.-B. 330*) : Libyos *Heinsius*; *de duplici genetiuo cf. K.-St. I 416, Sh. Bailey 223* **104** at L P D V (*corr.* V^2) : ad P^2 **105** senserat Vo V^2 **106** umbrane quae N : umbraque ne F L P D V : umbra neque Vo, *corr. Turnebus* **107** uersusque *Beroaldus* : certusque *Keil* : uarusque *Palmer*; *cf. tamen Sh. Bailey 223*

uictor Oiliade, rape nunc et dilige uatem,
quam uetat auelli ueste Minerua sua!
hactenus historiae! nunc ad tua deuehar astra;
incipe tu lacrimis aequus adesse nouis.
Vmbria te notis antiqua Penatibus edit
(mentior? an patriae tangitur ora tuae?)
qua[m] nebulosa cauo rorat Meuania campo,
et lacus aestiuis intepet Vmber aquis,
scandentisque Asis consurgit uertice murus,
murus ab ingenio notior ille tuo.
ossaque legisti non illa aetate legenda
patris et in tenuis cogeris ipse lares:
nam tua cum multi uersarent rura iuuenci,
abstulit excultas pertica tristis opes.
mox ubi bulla rudi dimissa est aurea collo,
matris et ante deos libera sumpta toga,

117 rabe nunc et delige *Sh. Bailey*; *tradita recte def. Camps IV 68; uide etiam Otto, De fabulis Propertianis particula prior. Diss. Vratislau. 1880, 32sqq.; quod adtinet ad hysteron proteron cf. Williams JRSt 47 (1957) 246* **120** nouis] tuis *Markland, quem secuti sunt Enk Comm. crit. 298, Sh. Bailey 224; cf. tamen Hanslik Herm. 91 (1963) 188, Fedeli 100* **123** quam ω, *corr.* ς **124** intepet] non tepet *Housman, qui* intepeo *i. q.* tepeo *absolute usurpatum a Latino sermone abhorrere censet; cf. tamen Pers. 6,7, Stat. Theb. 2,377, ThLL VII 1,2124,53sqq.* agris *Butler*; aquis *deff. B.-B. 331, coll. Stat. Theb. 2,376sq.* qua Lernaea palus ambustaque sontibus alte / intepet Hydra uadis **125** scandentis et F (*corr.* F^4) axis Δ P^2 (*pro interpolatione hab. Leo RhM 35 [1880] 442*) : arcis *Scaliger* (*quod olim iniuria probaui: cf. Fedeli 101 et uide contra Pasoli Comm. 6 [1965] 627*) : Asisi *Lachmann* (*probb. Knoche Gn 12 [1936] 268, Hanslik Herm. 91 [1963] 188*) candentisque arcis *Heinsius* **128** isse F^4 : inde P^2 **129** cum] non D V : quom V^2 seruarent F **131** demissa *ex* demisso F

tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo
et uetat insano uerba tonare Foro.
at tu finge elegos, fallax opus (haec tua castra!),
scribat ut exemplo cetera turba tuo.
militiam Veneris blandis patiere sub armis
et Veneris pueris utilis hostis eris.
nam tibi uictrices quascumque labore parasti,
eludit palmas una puella tuas:
et bene cum fixum mento discusseris uncum,
nil erit hoc: rostro te premet ansa tuo.
illius arbitrio noctem lucemque uidebis,
gutta quoque ex oculis non nisi iussa cadet.

133 cum F P L D V (*corr.* P^2 V^2) tibi *om.* N **135–146** *Apollini dat Heimreich*, **135–138** *Lütjohann* **135** et F : ac D pellax *Heinsius, probb. Housman Class. Pap. 48, Goold HStCPh 71 (1966) 87; cf. tamen Suerbaum RhM 107 (1964) 351, Pasoli Comm. 33 (1965) 623, Verdière Eos 56 (1966) 70 adn. 60, Stroh 107sq.* (haec tua castra) *sic dist. Rothstein* **139** labore] in amore *Lütjohann; sed cf. Sil. 12,78* quaecumque labore parastis **140** et ludit L P (*corr.* P^2) : eludet ς (*fort. recte: cf. enim 4,2,29 Suerbaum RhM 107 [1964] 346*) : eludat *Volscus; praesens pro futuro defenditur ab Hanslik Herm. 91 (1963) 188 et a Pasoli IV 64* **141** confixum ω (*probb. Dieterich RhM 55 [1900] 216, Pasoli IV 64*), *corr.* ς; *cf. Sh. Bailey 225* mento] merito F L P Δ (*corr.* F^4 V^2) discusserit ω (*prob. Dieterich RhM 55 [1900] 216–218*) : decusseris *Broukhusius, corr.* ς; *cf. ThLL V 1,1372,59sqq.* **142** ni(c)hil erit N Vo : nil premit F L P D V, *corr.* P^2 V^2; *cf. Landgraf, Komm. zu Cic. Rede Pro Sex. Roscio Amerino, Lipsiae 1914², 128* nostro ω, *corr. Paris. Lat. 8458*; *de huius uerbi significatione cf. B.-B. 332, Sh. Bailey 225* premat N L P Δ (*def. Pasoli IV 64*) : premit F, *corr.* ς; *cf. B.-B. 217, Hanslik Herm. 91 (1963) 189* ausa ω, *corr. Calderinus* suo F L P Δ; *cf. Hanslik Herm. 91 (1963) 189* **143–144** *post u. 140 transt. Housman (prob. Marr ClQ 64 [1970] 167)* **144** quoque] quidem F L P D V (*corr.* P^2 V^2) oculis *om.* F (*add.* F^4) L non] nunc N

nec mille excubiae nec te signata iuuabunt
  limina: persuasae fallere [p]rima sat est.
nunc tua uel mediis puppis luctetur in undis,
  uel licet armatis hostis inermis eas,
uel tremefacta cauo tellus diducat hiatum:
  octipedis Cancri terga sinistra time!'

2

Quid mirare meas tot in uno corpore formas?
  accipe Vertumni signa paterna dei.
Tuscus ego Tuscis orior, nec paenitet inter
  proelia Volsinios deseruisse focos.

145 mille] nullae D **146** lumina N F L P D V (*corr.* $P^2 V^2$) rima] prima N L P Δ F^4 : *om.* F, *corr. Beroaldus* **149** cauum F^4 : cauom *Baehrens*; *cf. tamen Verg. Aen. 10,102* tremefacta solo tellus, *ThLL III 717,68sqq., Sh. Bailey 226* deducat F L P D V hiatu ς; *fort. recte: cf. Octauia 725sq.* diducat ... tellus hiatu **150** signa P (*corr.* P^2) caue L P D V

2 fabula uertumni P D V **1** qui ς; *sed cf. 3,11,1* **2** accipe: *dist. Kraffert* paterna] petenda F L P D V (*corr.* $F^4 V^2$) *ex Ouid. ars 1,114* : petita *Baehrens* : putanda *Richards* : patere *Sandbach*; *ad nexum* Vertumni signa = signa me esse Vertumnum *defendendum Sh. Bailey 227 adfert 4,10,45* causa Feretri, *Plin. nat. 13,57* cum innatare coeperit, tempestiuae habet signum. *Mea quidem sententia* signa *sunt* notae, *quibus Vertumnus agnosci potest. De Vertumni simulacro perperam cogitat Rothstein II 219, quem Tränkle 174 secutus est. De adiect.* paternus *ad originem designandam cf. Ouid. fast. 2,511sq.: nihil igitur censeo mutandum* regna paterna *Housman* (*probb. B.-B. 334; cf. tamen Sh. Bailey 227, qui* fatente deo *pro* paterna dei *coni., collato u. 20*) **3** et *post* ego *add.* ς (*qui, teste Heinsio, etiam* e *add., probante Havet Not. crit. 111*) *et complures editores: cf. e. g. B.-B. 334, Fedeli 108, quibus adde Platnauer Lat. Eleg. 51. Re uera haud absurdum uidetur Propertium mensum esse* ĕgō: *hoc enim reduci potest "ad studium graecissandi* [ἐγώ] *et ueterum poetarum usum renouandi et ad id quod* ego *omnino eminet et in uersu et in sententia", ut censet Pasoli IV 64* **4** uolsanios N L D V : uolsanos F P Vo : uolscenos P^{corr}, *corr.* ς *post u.* 4 *uu.* 51–54, 49–50, 55–56 *transt. Housman, uu.* 49–56 *transt. Richmond*

haec mea turba iuuat, nec templo laetor eburno:
  Romanum satis est posse uidere Forum.
hac quondam Tiberinus iter faciebat, et aiunt
  remorum auditos per uada pulsa sonos:
at postquam ille suis tantum concessit alumnis,
  Vertumnus uerso dicor ab amne deus.
seu, quia uertentis fructum praecepimus anni,
  Vertumni rursus credis id esse sacrum.
prima mihi uariat liuentibus uua racemis
  et coma lactenti spicea fruge tumet;

5 haec me P (*prob. Enk Homm. Herrmann 342*) : nec me Δ (*sed cf. Rothstein II 220, La Penna SIFC N. S. 25 [1951] 208, Fedeli 109; idem uersus initium legimus ap. Prop. 2,12,22*) nec me tura (ς) iuuant *Passerat* : nec delubra iuuant *Phillimore* **7** ut L P **10** *post hunc uersum distichon excidisse putat Barber, in quo* αἴτιον *ex mercibus uertendis (cf. Porph. ad Hor. epist. 1,20,1, Ps. Ascon. p. 255 St.) narrabatur; cf. tamen Fedeli 107* **11** uertentes N percepimus F L P : praecerpsimus *Heinsius* : praecerpimus *Fea*; *cf. Ouid. met. 14,687sq.* quod, quae tibi poma coluntur, / primus habet laetaque tenet tua munera dextra **12** rursus] uulgus ς : Tuscus *Heinsius* (*prob. Leo RhM 35 [1880] 433 adn. 2*); *quod adtinet ad* rursus *cf. tamen 1,3,42; 2,27,7; Plaut. Merc. 349; Catull. 22,11; Sen. dial. 6 (= Marc.) 11,3; Iuuen. 10,150* credis id] credidit ω : creditur ς (*prob. Goold HStCPh 71 [1966] 95*) : creditis *Guyet, corr. Postgate* (*prob. Housman Class. Pap. 38. 91*); *de corruptelae origine cf. Fedeli 110*

hic dulcis cerasos, hic autumnalia pruna
  cernis et aestiuo mora rubere die;
insitor hic soluit pomosa uota corona,
  cum pirus inuito stipite mala tulit.
mendax fama, noces: alius mihi nominis index:
  de se narranti tu modo crede deo!
opportuna mea est cunctis natura figuris:
  in quamcumque uoles uerte, decorus ero.
indue me Cois, fiam non dura puella:
  meque uirum sumpta quis neget esse toga?
da falcem et torto frontem mihi comprime faeno:
  iurabis nostra gramina secta manu.
arma tuli quondam et, memini, laudabar in illis:
  corbis in imposito pondere messor eram.
sobrius ad lites: at cum est imposta corona,
  clamabis capiti uina subisse meo.
cinge caput mitra, speciem furabor Iacchi;
  furabor Phoebi, si modo plectra dabis.

15–17 huic . . . huic . . . huic (*sc.* mihi) *Ribbeck* **15** poma Vo V^2 **18** prius V Vo **19–20** *post u.* 12 *transt. Dittrich* **19** uoces F (*corr.* F^4) L P Vo : uaĉes D V (*corr.* V^2); uoces *prob. Housman Class. Pap. 300sq., sed cf. B.-B. 335; simul audiendum est* mihi fama. Roges; *Dittrich* noces aliis; mihi *Kraffert* : iaces: falsus mihi *Ribbeck* **22** quacumque F L P D V : qu(a)ecumque Vo V^2 : quascumque *Baehrens* **24** negat L P **26** secta] facta F L P D V **28** corbis in] corbis F L P : corbis ab D V (*corr.* V^2) : corbis et ς : corbis at *Passerat* (*prob. Luck RhM 105 [1962] 348; sed cf. Housman Class. Pap. 635*); *cf. u. 38; 3,5,22; ThLL VII 770,1–19; Spandau Serm. Prop. 46; Sh. Bailey 227. Quod adtinet ad Graecum* ἐν, *eiusdem usus exempla inueniri possunt ap. Rennie ad Aristoph. Ach. 1134, Denniston ad Eur. El. 321. De corruptelae origine cf. Fedeli 112* imposito corbis *Postgate in app.* : corbibus imposito *Phillimore* **29** at . . . corona] uitis mihi pone coronam P at] ac F L D V est *om.* F L **30** iura D subesse P **31** Iacchi] achei (-y) ω, *corr.* ς

cassibus impositis uenor: sed harundine sumpta
  fautor plumoso sum deus aucupio.
est etiam aurigae species Vertumnus et eius
  traicit alterno qui leue pondus equo.
suppetat hic, piscis calamo praedabor et ibo
  mundus demissis institor in tunicis.
pastor me ad baculum possum cur⟨u⟩are uel idem
  sirpiculis medio puluere ferre rosam.

34 fauor N : fauuor F : faunor L F^2 : faunus Δ F^4 (*prob. Rothstein II 223; uide tamen Fedeli 113*) : fauon (*ut uid.*) P *in ras.* : fabor *Phillimore* (*sed cf. B.-B. 335*), *corr. Rossberg*; *cf. Housman Class. Pap. 301* **35** specie *Heinsius* (*prob. Camps IV 75, qui Liu. 21,52,5 confert*) : specimen *Butler*; *tradita deff. B.-B. 335, coll. u. 31, Ouid. met. 14,644* Vertumnus] cum uerbere *Postgate* (*prob. Goold HStCPh 71 [1966] 78*) et eius] et elus ω, *corr.* ς; *cf. 4,6,67, Catull. 84,5, Ouid. trist. 3,4,27; de pronominis* is *frequentia ap. poetas dactylicos cf. Axelson Unpoet. Wört. 70sq., Fordyce Cat. 376* **37** supperat N : suppeta F (*corr.* F^2); *cf. Neumann 44, Tränkle 174* hoc ω, *corr. Heinsius*; hoc *def. Neumann 63, qui formam neutri generis* δεικτικῶς *praemissam optime naturali dictioni respondere censet* sub petaso *Smyth, praeeunte Alton* (*prob. Camps IV 75, fort. recte: cf. etiam Goold HStCPh 71 [1966] 78*) suppetat huc calamus, pisces *Guyet* **39** pastor me] pastorem ω (*frustra deff. Rothstein II 224, Schuster 190, qui* pastorem curare *i. q.* pastoris partes agere *interpretantur*) : pastor ouem *Huleatt* (*sed cf. B.-B. 335*) : pastor et ad *Beck, corr. Ayrmann* curare ω, *corr.* ς; *cf. Ouid. met. 8,218* aut pastor baculo stiuaue innixus arator, *Pont. 1,8,52* ipse uelim baculo pascere nixus oues, *trist. 4,1,11sq.* fessus ubi incubuit baculo saxoue resedit / pastor, *Ps. Verg. Culex 98sq.* baculo dum nixus apricas / pastor agit curas **40** sepiculis N : serpiculis F L P D V N^2 : serpiculus Vo V^2, *corr.* ς

nam quid ego adiciam, de quo mihi maxima fama est,
hortorum in manibus dona probata meis?
caeruleus cucumis tumidoque cucurbita uentre
me notat et iunco brassica uincta leui;
nec flos ullus hiat pratis, quin ille decenter
impositus fronti langueat ante meae.
at mihi, quod formas unus uertebar in omnis,
nomen ab euentu patria lingua dedit;
et tu, Roma, meis tribuisti praemia Tuscis
(unde hodie Vicus nomina Tuscus habet),
tempore quo sociis uenit Lycomedius armis
atque Sabina feri contudit arma Tati.
uidi ego labentis acies et tela caduca,
atque hostis turpi terga dedisse fugae.
sed facias, diuum Sator, ut Romana per aeuum
transeat ante meos turba togata pedes.
sex superant uersus: te, qui ad uadimonia curris,
non moror: haec spatiis ultima creta meis.

41–46 *post u.* 18 *transt. Schrader, post u.* 12 *Lütjohann* **41** fama] cura Vo V^2 fama est? *dist. Leo* **44** notat] necat F^3 L P D V (*corr.* F^4 V^2); *cf. tamen Housman Class. Pap. 256, qui 3,11,48 confert, et Sh. Bailey 115, qui Stat. silu. 5,1,139; 5,3,167; Theb. 12,227; Plin. nat. 3,60 adfert* iunco] uinco N F^4 : uinci F; *cf. Ps. Verg. Copa 22* et pendet iunco caeruleus cucumis iuncta F L P Vo **47** quod] qui V (*corr.* V^2) **49** et] at F L P Δ (*corr.* V^2) : haec *Camps, sine ulla necessitate* **50** (unde . . . habet) *dist. ed. Eton. a. 1705* **52** atque] quoque *coni. Morel JRSt.55 (1965) 302, ut* atque *ante consonantem litteram uitaret*; *cf. tamen Axelson Unpoet. Wört. 84, Platnauer ClQ 42 (1948) 92* contulit F L P Δ; *cf. Ouid. fast. 4,380* perfida magnanimi contudit arma lubae, *6,361* iamque suburbanos Etruscaque contudit arma, *et, quod adtinet ad* contundere, *Tränkle 13*

stipes acernus eram, properanti falce dolatus,
ante Numam grata pauper in urbe deus.
at tibi, Mamurri, formae caelator aenae,
tellus artifices ne terat Osca manus,
qui me tam docilis potuisti fundere in usus.
unum opus est, operi non datur unus honos.

3

Haec Arethusa suo mittit mandata Lycotae,
cum totiens absis, si potes esse meus.
si qua tamen tibi lecturo pars oblita derit,
haec erit e lacrimis facta litura meis:
aut si qua incerto fallet te littera tractu,
signa meae dextrae iam morientis erunt.

58 creta] meta ς (*fortasse ex Ouid. am. 3,15,2* raditur haec elegis ultima meta meis); *cf. tamen Sen. epist. 108,32* hanc quam nunc in circo cretam uocamus, calcem antiqui dicebant, *Housman Class. Pap. 341, Tränkle 116* **59** stipis N F L P Vo V^2 **60** ingrata *anon. ap. Camps* **62** me F (*corr.* F^4) L P D **63** quod L P Δ tot docilem *improbat Hertzberg, commendat Sh. Bailey 229, qui tamen tradita defendi posse censet: cf. enim Fedeli 118, Hus 349* **64** opus] usus F (*corr.* F^4) L P D opus; ast *Markland*

3 epistula (-ola) (h)aret(h)usae ad lycotem (lic-) F L D V : epistola arethuse ad licorem coniugem P **1** haec Arethusa] Haret(h)usa N F L : Rethusa Vo **2** cum] ne V^2 : qui *Guyet* **3** deerit N F L Δ P^2 **5** aut] at F L P : ac D V (*corr.* V^2) **6** iam morientis] deficientis *Heimreich*; *tradita def. Pohlenz Kl. Schr. II 129, qui Propertium imitatum esse Ouid. epist. 11,3-6 censet; cf. etiam Mersmann 63 et uide contra La Penna Maia 3 (1951) 46, Fedeli 121* (signa dextrae morientis = signa dextrae Arethusae morientis)

te modo uiderunt iteratos Bactra per ortus,
te modo munito Neuricus hostis equo,
hibernique Getae pictoque Britannia curru
ustus et Eoa decolor Indus aqua.

7 iteratos] mitratos *Polster* (*prob. Enk Comm. crit. 303*) : murratos *Barber*; *uide tamen 4,1,82* signa iterata rotae, *Hor. carm. 1,7,32* cras ingens iterabimus aequor Bactra per ortus *om.* N blactra F (*corr.* F^2) L P (*corr. ead. man.*) D Ituraeos uiderunt Bactra per arcus *Housman* **8** munitus ω, *corr. cod. Berol. Lat. 500 (et Beroaldus)*; *de cataphractis cf. 3,12,12, Liu. 37,40,5, Tac. hist. 1,79* hericus N F L P Vo V^2 : hernicus D : henricus V : horicos F^4 : Sericus *Beroaldus* : *alii alia, corr. Jacob*; *Beroaldi coniectura non inepta mihi uidetur: cf. enim Hor. carm. 1,2,56; 1,29,1sqq.; 3,29,27; 4,14,42; 4,15,22; Lucan. 1,19; Nisbet-Hubbard Hor. 167; Meyer Außenpolitik 78 et de corruptelae origine Housman Class. Pap. 322*; *ego tamen* Neuricus *accipere malo, cum Seres imbelles fuerint: cf. enim Plin. nat. 6,20, Amm. 23,6,67 et quae Mersmann 31 fuse disputat* **9** picto F (que *add.* F^4) L P Briantia *Postgate, coll. Herodot. 7,108* (*non improbantibus B.-B. 338*) : Hyrcania *Housman*; *sed nihil mutandum: cf. 2,1,76* esseda caelatis siste Britannia iugis, *Fedeli 123* **10** uestus Vo : tunsus *uel* tusus *Housman ad Manil. 4,602* (*prob. Camps IV 78, coll. Catull. 11,2sq., Verg. georg. 3,382; cf. etiam Sh. Bailey 230*) : tinctus *Postgate* : mixtus *Cameron* : rursus (rusus) *Barber dub. in app.*; *cf. tamen Sen. Med. 484* usque a perustis Indiae populis, *Catull. 45,6* in Libya Indiaque tosta, *Verg. georg. 4,425sq.* iam rapidus torrens sitientis Sirius Indos / ardebat caelo, *Tib. 2,3,55sq.* illi sint comites fusci, quos India torret / Solis et admotis inficit ignis equis Eois ... equis ς; *sed cf. Catull. 11,2–4* siue in extremos penetrabit Indos / litus ut longe resonante Eoa / tunditur unda, *Ps. Tib. 3,8,19sq.* et quascumque niger Rubro de litore gemmas / proximus Eois colligit Indus aquis discolor ω, *corr.* ς; discolor *deff. Camps IV 79, Pasoli IV 64; ego uero cum Sh. Bailey 230* decolor *certissimam puto coniecturam, coll. Ouid. met. 4,21, Sen. Phaedr. 345* (decolor ... India), *Ouid. ars 3,130, trist. 5,3,24, Prud. ham. 497* (decolor ... Indus); *cf. etiam Housman ad Manil. 4,602*

haecne marita fides et † parce auia † noctes,
cum rudis urgenti bracchia uicta dedi?
quae mihi deductae fax omen praetulit, illa
traxit ab euerso lumina nigra rogo;
et Stygio sum sparsa lacu, nec recta capillis
uitta data est: nupsi non comitante deo.
omnibus heu portis pendent mea noxia uota:
texitur haec castris quarta lacerna tuis.
occidat, immerita qui carpsit ab arbore uallum
et struxit querulas rauca per ossa tubas,
dignior obliquo funem qui torqueat Ocno,
aeternusque tuam pascat, aselle, famem!
dic mihi, num teneros urit lorica lacertos?
num grauis imbellis atterit hasta manus?
haec noceant potius, quam dentibus ulla puella
det mihi plorandas per tua colla notas!
diceris et macie uultum tenuasse: sed opto
e desiderio sit color iste meo.
at mihi cum noctes induxit uesper amaras,
si qua relicta iacent, osculor arma tua;
tum queror in toto non sidere pallia lecto,
lucis et auctores non dare carmen auis.

11 *sic* N : et pacat(a)e mihi F L : et pact(a)e iam mihi P Vo : hae (et V^2) sunt pact(a)e mihi D V; *sed cf. Neumann 88* et pactae in sauia noctes *Haupt, coll. 3,20,25* (*fort. recte: quae enim Hauptio obiciunt Leo Plaut. Forsch. 359 et Tränkle 126 non magni momenti sunt*) : pactae et mihi gaudia noctis *L. Müller* : et primae praemia noctis *Housman* : *alii alia*; *locus deperditus, qui nulla certa medicina sanari potest* **13** omni F L P protulit Vo **15** et] e *Guyet* **16** uita F L P D V (*corr.* V^2) : uicta Vo P^2 **17** mea pendent anxia *Guyet*; *cf. tamen Drac. laud. dei 2,814* quid noxia uota reportent, *Camps IV 80, Fedeli 125* **19** quae N **21** oeno F L D V : aeno P Vo V^3; *cf. Paus. 10,29,1, Plin. nat. 35,137* **23** num] dum ω, *corr.* P^2 V^2 **27** collum Vo V^2 **28** et F Vo ille Vo V^2 **29** inducit F

noctibus hibernis castrensia pensa laboro
et Tyria in gladios uellera secta suo[s];
et disco, qua parte fluat uincendus Araxes,
quot sine aqua Parthus milia currat equus;
cogor et e tabula pictos ediscere mundos,
qualis et haec docti sit positura dei,
quae tellus sit lenta gelu, quae putris ab aestu,
uentus in Italiam qui bene uela ferat.
assidet una soror, curis et pallida nutrix
peierat hiberni temporis esse moras.

34 gladios] radios *uel* clauos ς; uellera secta in gladios *recte interpretatus est W. A. Baehrens Ph 72 (1913) 266 ("Tyria uellera secta in partes e quibus factis balteis gladii pendebunt"); cf. 4,10,22, Verg. Aen. 12,273sq.* secta] texta ς (*sed cf. Ouid. fast. 5,102* cum lustrant celebres uellera secta uias) suos ω : tuos *codd. Passeratii* : suo (*a* suendo) *recte coni. Rossberg; cf. Hubaux Homm. Niedermann 176 et, de parallelismo cum u. 33, Fedeli 128* in calathos uellera lecta suos *Heinsius* : in chlamydas uellera secta tuas *Barber* (*prob. Camps IV 82*) **36** quod N sine qua N V (*corr.* N^2 V^2) equo N : eques *Scaliger* **37** conor *Broukhusius, qui uu.* 37–38 *post u.* 34 *transt.*; *cf. Camps IV 82* **38** et haec docti] et aetherii *Passerat* : et Arctoi *Hetzel* : et educti *Ellis* (*coll. Verg. georg. 1,240sq.; sed cf. B.-B. 341*); *cf. 3,5,25sq.: tradita deff. Hus 245, cuius sententia a Propertio Platonicum illud* σοφὸς δημιουργός *uertitur, et Sh. Bailey 231, qui Crit. frg. 1,34 N.* καλὸν ποίκιλμα τέκτονος σοφοῦ, *Prud. c. Symm. 2,200sq.* quis istud / tam sollers opifex struat *confert* sit positura] dispositura *Sh. Bailey dub.*; *sed* positura *i. e.* mundi dispositio *defenditur a Lucr. 1,685* positura figurae; *cf. Norden, Die germanische Urgeschichte in Tacitus Germania, Stuttgart/Darmstadt 1959⁴, 12 adn. 1, Tränkle 124* **41** *post* curis *dist.* N; *sed cf. Camps IV 82* callida *Heinsius* **42** deierat *Liuineius* (*prob. Enk Comm. crit. 309*); *cf. tamen Fedeli 129 et de uoce uerbali q. e.* peierare *Tränkle 96. 135*

felix Hippolyte! nuda tulit arma papilla
et texit galea barbara molle caput.
Romanis utinam patuissent castra puellis!
essem militiae sarcina fida tuae,
nec me tardarent Scythiae iuga, cum Pater altas
acriter in glaciem frigore nectit aquas.
omnis amor magnus, sed aperto in coniuge maior:
hanc Venus, ut uiuat, uentilat ipsa facem.
nam mihi quo Poenis nunc purpura fulgeat ostris
crystallusque meas ornet aquosa manus?
omnia surda tacent, rarisque assueta kalendis
uix aperit clausos una puella Lares.

43 mamilla V^2 **46** issem *Heinsius* **48** acriter] affricus N F L P : africus D V : aphricus Vo (Africus *frustra def. Church UNSt 1 2 [1908] 92–98; cf. Fedeli 130*) : Arcticus *Burman* : adstricto *van Eldik* (*probb. Rothstein II 238, Camps IV 82, qui Ouid. trist. 2,196; Pont. 3,3,26; Lucan. 1,18 confert*) : acrius *Postgate* : Thracius *Damsté* : artius *Bonazzi* : *alii alia, corr. Keil Observ. crit. in Prop. 29* (*prob. Sh. Bailey 232*) **49–50** *del. Hubaux Homm. Niedermann 176–178* **49** aperto in] in apto (apta *Schrader*) *codd. Passeratii* : aperte in *Lachmann* : rapto in *Schippers* : certo in *Barber*; *hunc uersum recte interpretatur Mersmann 45 ("amor furtiuus atque legitimus comparantur"); cf. etiam E. Reitzenstein Wirkl. 26* (in aperto coniuge = in aperto coniugio), *Camps IV 83* (apertus = praesens conspicuusque), *quibus adde Pohlenz Kl. Schr. II 128, Merklin Herm. 96 (1968) 468* **51** nam] nunc *Barber* quo? *dist. Keil, probb. Rothstein II 239* (*qui* ire licet *simul audit*), *E. Reitzenstein Wirkl. 26 adn. 32* (*qui* fulgeat et ornet *supplet*); *cf. tamen Merklin Herm. 96 (1968) 469* nunc] te N : tibi F L P Δ (*probb. Rothstein II 239, Pasoli IV 65*) : tua *Leo* : ter *Palmer* : tot *Havet* (*prob. Hubaux Homm. Niedermann 177*) : quae *Barber dub. in app.*; *corr. Housman, coll. Ouid. epist. 13,37sq.*; *cf. etiam Fedeli 131, Merklin Herm. 96 (1968) 469* **52** meas] tuas F L P Δ **53** raris F (*corr.* F^4) L P D V ad sueta *Palmer, coll. Apul. met. 4,8*; *cf. Schuster 202* **54** laros N

Craugidos et catulae uox est mihi grata querentis:
  illa tui partem uindicat una toro.
flore sacella tego, uerbenis compita uelo
  et crepat ad ueteres herba Sabina focos.
siue in finitimo gemuit stans noctua tigno,
  seu uoluit tangi parca lucerna mero,
illa dies hornis caedem denuntiat agnis,
  succinctique calent ad noua lucra popae.
ne, precor, ascensis tanti sit gloria Bactris
  raptaue odorato carbasa lina duci,
plumbea cum tortae sparguntur pondera fundae,
  subdolus et uersis increpat arcus equis!
sed (tua sic domitis Parthae telluris alumnis
  pura triumphantis hasta sequatur equos)
incorrupta mei conserua foedera lecti!
  hac ego te sola lege redisse uelim:

55-56 *post u.* 32 *transt. Housman* **55** graucidos N L P V Vo : grancidos F D : craucidos V^2 : Glaucidos *Puccius* (*prob. Rothstein II 240*), *corr. Bergk, Augusti rer. a se gest. ind. e Gr. metaphrasi, Gottingae 1873, 124*; *cf. etiam Buecheler Kl. Schr. III 154, qui* Κραύγη *ap. Xen. cyn. 7,5* (*de quo uide Mentz Ph 88 [1933] 129*), κραῦγις *ap. Antip. Sid. AP 6,109*, κραυγή *ap. Greg. Naz. in laudat. Basil. 7 confert* **56** tori V^2 (*probb. B.-B. 342*); *uox* toro *tamen seu pro abl. limitatiuo* (*i. e.* quod adtinet ad torum) *seu pro abl. loc. habenda est: cf. Bausch 12, Camps IV 84* **59** finitimo] funtiuo F (*corr.* F^4) : furtiuo D V (*corr.* V^2) F^3 genuit F L P **60** tingi ς; *cf. Rothstein II 241* pauca F^4 : parua P^2 **61** anuis N (*corr.* N^2) : anguis P F^2 **62** succin(c)t(a)eque ω, *corr. Itali*; *cf. Serv. ad Verg. Aen. 12,120* lucra] sacra ς : lustra *Housman* **63** nec L accensis ς (*sed cf. Camps IV 85*) **66** recrepat F (*corr.* F^4) **67-68** (tua . . . equos) *dist. Broukhusius* (*probb. Leo RhM 35 [1880] 433, Fraenkel Kl. Beitr. I 78 adn. 2*) : tua, . . . alumnis, / pura . . . equos *dist. Schippers* sit L D V (*corr.* V^2) : sint F; *cf. 3,6,2, Catull. 17,5sqq., Tränkle 166*

armaque cum tulero portae uotiua Capenae,
  subscribam SALVO GRATA PVELLA VIRO.

4

Tarpeium nemus et Tarpeiae turpe sepulcrum
  fabor et antiqui limina capta Iouis.
lucus erat felix hederoso conditus antro,
  multaque natiuis obstrepit arbor aquis,
Siluani ramosa domus, quo dulcis ab aestu
  fistula poturas ire iubebat ouis.
hunc Tatius fontem uallo praecingit acerno,
  fidaque suggesta castra coronat humo.
(quid tum Roma fuit, tubicen uicina Curetis
  cum quateret lento murmure saxa Iouis,
atque ubi nunc terris dicuntur iura subactis,
  stabant Romano pila Sabina Foro?

4 fabula tarpei(a)e F P D V (mors *add.* V^2) : fabula tarpee L **1** nemus] scelus *Kraffert* (*prob. Camps IV 87*); *cf. tamen Marr ClQ 64 (1970) 170sq.* turpe] pulchre F L P (*corr.* F^2 P^2) **2** lumina F L P (*corr.* F^4 P^2) **3-8** *post u.* 14 *transt. Sh. Bailey* : **7-10, 13-14, 11-12, 3-6** *Baehrens* : **9-10, 13-14, 7-8, 11-12, 3-6** *Postgate* **3** consitus ς **6** *post hunc uersum uu.* 15-16, 9-10, 13-14, 7-8, 11-12 *transt. Marr* **7** nunc Vo huic Tatius frontem *Postgate* fontem] montem *Heinsius* : contra *uel* propter *Camps, coll. Liu. 9,2,14*; *tradita deff. Karsten Mn 43 (1915) 360, Fedeli 137sq.; cf. etiam Hanslik Herm. RhM 105 (1962) 237* **9** quod L P : qui Vo cum F L P Δ (*corr.* F^4 V^2) Curitis *Bergk*; *sed cf. ThLL Onom. II 754,58sqq.* **10** tum L P D V (*corr.* V^2) saxa] facta F L P D V (*corr.* F^4 P^2 V^2); *cf. Housman Class. Pap. 176. 267* **12** Foro] foco ω, *corr.* F^4 P^2 V^2 starent (*Guyet*) . . . foro? *Waardenburgh*; *sed de indicatiuo et coniunctiuo ab eadem particula pendentibus cf. Uhlmann 78, H.-Sz. 815*

murus erant montes: ubi nunc est Curia, saepta;
  bellicus ex illo fonte bibebat equus).
hinc Tarpeia deae fontem libauit: at illi
  urgebat medium fictilis urna caput.
et satis una malae potuit mors esse puellae,
  quae uoluit flammas fallere, Vesta, tuas?
uidit harenosis Tatium proludere campis
  pictaque per flauas arma leuare iubas:
obstupuit regis facie et regalibus armis,
  interque oblitas excidit urna manus.
saepe illa immeritae causata est omina lunae
  et sibi tingendas dixit in amne comas:
saepe tulit blandis argentea lilia Nymphis,
  Romula ne faciem laederet hasta Tati:
dumque subit primo Capitolia nubila fumo,
  rettulit hirsutis bracchia secta rubis,

13 Curia, saepta (*sc.* erant) *dist. Castalio*; saepta *pro participio cum* Curia *coniuncto habent Rothstein II 246, Hanslik RhM 105 (1962) 239; cf. tamen Karsten Mn 43 (1915) 359, Fedeli 139* **14** ex illo] exili *Postgate*; *cf. Housman ad Lucan. 4,4, Schuster 188 (s. u. 'breuitas dicendi')* **15** hic ς : hunc *Canter*; *cf. B.-B. 345, Williams Trad. and Orig. 652* (hinc *i.q.* Roma ueniens) fontem] rorem *Heinsius* : furtim *Richmond, sed cf. Williams Trad. and Orig. 652* at] et *Fontein*; *sed de* at *sine ui aduersatiua cf. 4,7,11; Tib. 2,1,79; Lucan. 3,663; 4,36; Draeger II 112; Uhlmann 70; Fordyce Cat. 120* **17–18** *post u.* 92 *transt. Broukhusius, prob. Goold HStCPh 71 (1966) 97sq.* : *post u.* 86 *Housman, post u.* 22 *Karsten dub.*; *cf. tamen Sh. Bailey 235* **17** et] nec *Postgate*; et *def. Sh. Bailey 235, coll. Cic. ad Q. fr. 1,2,7* et mediocri me dolore putas adfici . . .?, *Sen. Herc. O. 1858* et una funeri tanto sat es . . .? **20** arma] frena *Palmer* : lora *Hartman*; *uersum recte interpretatur Rothstein II 248; cf. etiam Jocelyn Enn. 283* **23** omnia F D V (*corr.* V²) **27** primo . . . fumo] prono . . . Phoebo *Cornelissen*; *recte interpretatur Passerat 600 ("cum primus ignis accenditur, uel ad rem diuinam uel ad coquendum prandium"); cf. etiam Rothstein II 249, Dornseiff Verschm. zu Verg. Hor. u. Prop. 90*

et sua Tarpeia residens ita fleuit ab arce
  uulnera, uicino non patienda Ioui:
'Ignes castrorum et Tatiae praetoria turmae
  et formosa oculis arma Sabina meis,
o utinam ad uestros sedeam captiua Penatis,
  dum captiua mei conspicer esse Tati!
Romani montes, et montibus addita Roma,
  et ualeat probro Vesta pudenda meo:
ille equus, ille meos in castra reponet amores,
  cui Tatius dextras collocat ipse iubas!

29 et Tarpeia sua *Palmer* rediens *Guyet*; *sed cf. Rothstein II 249* **30** non patienda] compatienda F L P D V (*corr.* P² V²) : comperienda *Baehrens*; *cf. tamen Soph. Trach. 275sq.* ὁ τῶν ἁπάντων Ζεὺς πατὴρ Ὀλύμπιος, / πρατόν νιν ἐξέπεμψεν, οὐδ' ἠνέσχετο *et Housman Class. Pap. 256* num patienda Ioui *Sh. Bailey 236*; *sed cf. Fedeli 142* **32** famosa N F L P V², *probb. Rothstein II 249, La Penna Prop. 79 adn. 1, SIFC 25 (1951) 212, Pasoli IV 65 (qui* oculis *pro datiuo, non uero pro ablatino, ut Rothstein, habet); cf. tamen Ouid. met. 7,679sq.* sed non formosius isto / uiderunt oculi telum iaculabile nostri, *8,26* in galea formosus erat, *9,476* ille quidem est oculis quamuis formosus iniquis, *Tib. 3,19,4* formosa est oculis ulla puella meis; *uide etiam Leo Kl. Schr. II 185sq.*; formosa *iure tuentur Enk Mn S. IV 2 (1949) 167sq., Sh. Bailey 236* **34** esse] arma Vo V² : ora *Gronouius* (*probb. B.-B. 347*); *sed* conspicor *passiue iure usurpatur: cf. Varr. ap. Prisc. gramm. II 384,2 K., Sall. Iug. 49,4, Apul. flor. 9 p. 32 Oud. aliaque recentioris aetatis exempla ap. ThLL IV 498,19sqq., Tränkle 63* **35** abdita V² **37** reportet *codd. Passeratii* : reponat *Puccius* **38** dextra P²; *sed cf. Dodds CIR 82 (1968) 24, qui Varr. rust. 2,75, Verg. georg. 3,86, Ouid. met. 2,673sq., Colum. 6,29,2, Geopon. 16,1,9 confert*

quid mirum in patrios Scyllam saeuisse capillos,
  candidaque in saeuos inguina uersa canis?
prodita quid mirum fraterni cornua monstri,
  cum patuit lecto stamine torta uia?
quantum ego sum Ausoniis crimen factura puellis,
  improba uirgineo lecta ministra foco!
Pallados exstinctos si quis mirabitur ignis,
  ignoscat: lacrimis spargitur ara meis.
cras, ut rumor ait, tota pigrabitur urbe:
  tu cape spinosi rorida terga iugi!
lubrica tota uia est et perfida: quippe tacentis
  fallaci celat limite semper aquas.
o utinam magicae nossem cantamina Musae!
  haec quoque formoso lingua tulisset opem.

39 secuisse (*om.* in) *cod. Ven. 12.141, teste Smyth Thes. crit. 139* **40** saeuos] foedos *Heinsius* : senos *Polster*; saeuisse . . . saeuos *deff. Vahlen Opusc. I 358* (*coll. Verg. Aen. 12,888–890* saeuo sic pectore fatur: / . . . saeuis certandum est comminus armis), *Schuster 212* (*s. u. 'uocum iteratio'*); saeuus *ad Scyllaeos canes pertinet ap. Ouid. met. 7,64sq., Lucan. 1,548 (cf. Housman ad loc.)* **42** stramine F D V (*corr.* F^3 V^2) : stamina Vo; *cf. Catull. 64,112–115, Ouid. epist. 10,69–72. 103sq.* **45** pal(l)adis L P D V : pallidos Vo **47–66** *post u.* 82 *transt. Richmond* **47** pugnabitur ω : purgabitur ς (*prob. Fleischmann WSt 10 [1888] 153; sed cf. B.-B. 347*) : potabitur *Rossberg et Palmer* (*prob. Camps IV 91; sed cf. Fedeli 146*), *corr. Housman Class. Pap. 38: cf. etiam B.-B. 347, Hanslik RhM 105 (1962) 243, Marr ClQ 64 (1970) 171* **48** tum *Rossberg, prob. Luck 400, qui 2,24,35 confert (ubi tamen* tum *deteriorum est coniectura eaque plane reicienda)* caue F^4 (*prob. Neumann 15 adn. 3*) **49** latentes *Rossberg* (*prob. Goold HStCPh 71 [1966] 88*) **50** semper] caespes *Palmer* (*prob. Goold HStCPh 71 [1966] 88, qui Ouid. fast. 6,702 confert*) : subter *Rossberg*; *cf. Rothstein II 252* **52** hac *Markland* : hanc *Baehrens*

te toga picta decet, non quem sine matris honore
  nutrit inhumanae dura papilla lupae.
† sic hospes pariamne tua regina sub aula †
  dos tibi non humilis prodita Roma uenit.
si minus, at raptae ne sint impune Sabinae,
  me rape et alterna lege repende uices!
commissas acies ego possum soluere, nuptae:
  uos medium palla foedus inite mea!
adde, Hymenaee, modos! tubicen, fera murmura conde!
  credite, uestra meus molliet arma torus.
et iam quarta canit uenturam bucina lucem,
  ipsaque in Oceanum sidera lapsa cadunt.

55 sic ω : dic *Passerat* : sin *Phillimore* (*prob. Luck 400*) : hic *Barber* pariamne tua N (*cf. Spandau 56–58 et uide contra Sh. Bailey 237*) : patrianne (*ex* patrianue) tua F : patria ue tua P : patrare tua L : patiare tua D V (*cf. tamen La Penna SIFC 25 [1951] 208*) : patrianne Vo : pariam ne te V^2 : patria metuar *Weidgen* : spatierne (spatiorne *Heinsius*) tua *Housman* (*coll. Verg. Aen. 1,46*) : *alii alia* **57** sin ς; *cf. Neumann 48* at] aut N Vo (*corr.* N^2) : ac L D V^2 ne] non F D V (*corr.* V^2) **59** soluere, nuptae: *sic recte dist. Rothstein II 254* : soluere: nuptae *dist. Richmond* (*qui* nuptae *pro genet. habet, probb. B.-B. 348, Sh. Bailey 238; cf. etiam Marr ClQ 64 [1970] 171, qui Catull. 66,51 adfert, et uide contra Fedeli 148*) : soluere nupta *Lütjohann* (*fort. recte; cf. Madvig Aduers. II 66, Camps IV 92*) **60** media *Baehrens* : mediae *Sh. Bailey 238*; medium *recte def. Camps IV 92, qui de adiectiui enallage (quamuis enim* medium *cum* foedus *cohaereat, re uera ad* palla mea *pertinet) 4,2,34. 63 adfert et de adiectiuo* medius, *qui foederis interpretem designat, Lucan. 1,118, Sil. 16,220 confert* **61** conde] crede F (*corr.* F^4) P : cׄde L; *cf. ThLL IV 151, 58sqq.* **64** lassa V^2 (*prob. Housman Class. Pap. 335, coll. Sen. Herc. f. 125sq.*); *cf. tamen de huius uersus significatione Vergilianum illud* cadentia sidera (*Aen. 2,9; 4,81*) *et de iunctura Auien. Arat. 1203, Don. ad Verg. Aen. 2,10, ThLL VII 2,781,6sqq.*

experiar somnum, de te mihi somnia quaeram:
fac uenias oculis umbra benigna meis!'
dixit, et incerto permisit bracchia somno,
nescia, uae, furiis accubuisse nouis.
nam Vesta, Iliacae felix tutela fauillae,
culpam alit et plures condit in ossa faces.
illa ruit, qualis celerem prope Thermodonta
Strymonis abscisso pectus aperta sinu.
urbi festus erat (dixere Parilia patres),
hic primus coepit moenibus esse dies,
annua pastorum conuiuia, lusus in urbe,
cum pagana madent fercula diuitiis,
cumque super raros faeni flammantis aceruos
traicit immundos ebria turba pedes.
Romulus excubias decreuit in otia solui
atque intermissa castra silere tuba.
hoc Tarpeia suum tempus rata conuenit hostem:
pacta ligat, pactis ipsa futura comes.

66 oculis uenias P D V (*ordinem mut.* V^2) F^4 : oculis nimias F : oculis minias L **68** uae furiis] nefariis ω : se furiis *ed. Brix. a. 1486, corr. Jacob*; *cf. Leo Sen. 1 66, Fedeli 149* **72** absciso N F L; *uide Housman Class. Pap. 289, qui Ouid. fast. 4,448, Prop. 3,8,8 confert; adde Verg. Aen. 5,685, Val. Max. 2,7,9, Curt. 10,5,19* abscissos (abscisos *Lachmann*) . . . sinus *Broukhusius* pectus] fertur ω, *corr. Hertzberg*; fertur *def. Pasoli IV 65, qui* aperta *i. q.* ante nudata *accipit; cf. tamen Housman Class. Pap. 289, qui Tib. 1,6,18, Ouid. fast. 1,408, met. 13,688, Epist. Sapph. 122, Stat. silu. 5,5,13 confert* **73** Vrui *Richmond*; *cf. B.-B. 349* palilia D V P^2 : papilia Vo; *cf. app. ad 4,1,19* **75** urbi N et urui *Postgate in app.* **76** delitiis V^2 : lautitiis *Postgate* (*cf. fortasse Petron. 34,8* potantibus ergo et accuratissime nobis lautitias mirantibus) **77** dumque V^2 **78** inmundas . . . dapes ω, *corr.* ς; *de re cf. Tib. 2,5,89sq.* **82** pactis] coeptis *Housman*; pactis *deff. Sh. Bailey 238, Marr ClQ 64 (1970) 172*

mons erat ascensu dubius † festoque remissus †
nec mora, uocalis occupat ense canis.
omnia praebebant somnos: sed Iuppiter unus
decreuit poenis inuigilare tuis.
prodiderat portaeque fidem patriamque iacentem,
nubendique petit, quem uelit ipse, diem.
at Tatius (neque enim sceleri dedit hostis honorem)
'Nube' ait 'et regni scande cubile mei!'
dixit, et ingestis comitum super obruit armis.
haec, uirgo, officiis dos erat apta tuis.
a duce Tarpeia mons est cognomen adeptus:
o uigil, iniustae praemia sortis habes.

83 dubio ς; *cf. Sall. Iug. 94,2* remissus N P Vo F^4 V^2 : remissis F L D V P^2 custosque remissus *Sh. Bailey 239* (*coll. Frontin. strat. 3,3,2*); mons . . . remissus *deff. Camps IV 94, Pasoli IV 65, quorum tamen interpretatio* (mons . . . remissus *i. q.* custodia montis erat remissa) *exemplis caret* **84** ense] illa P (*corr.* P^2); *cf. Sil. 14,133; 17,469; Marr ClQ 64 (1970) 172* **85–86** *post u.* 82 *transt. Barber dub. in app.* **85** omnia] otia *Hosius dub.* carpebant *Lütjohann*; *sed cf. Lucan. 1,517sq.* et subitus . . . agger / praebet securos inter tentoria somnos, *Ouid. fast. 5,429* nox ubi iam media est somnosque silentia praebent somnos se; *Rossberg*; *sed cf. Sil. 4,723sq.* omnia somni . . . dabant obliuia **86** suis ς (*prob. Camps IV 94*); *cf. tamen 4,11,13sq., Fedeli 152* **87** patremque *Housman* tacentem ς **88** ipsa ω, *corr.* V^2; *cf. enim Leo Kl. Schr. II 193* diem] locum V^2 **93** tarpeio (-yo) ω (*sed cf. B.-B. 350*) : Tarpeium *Palmer* (*probb. Camps IV 94, Goold HStCPh 71 [1966] 89, Marr ClQ 64 [1970] 173*) : Tarpeius *Rossberg, corr.* ς **94** o] non *Peerlkamp*; *sed cf. Hanslik RhM 105 (1962) 251* iniuste F L P D Vo (*quod olim iniuria probaui: cf. Fedeli 153 et uide contra Sh. Bailey 239, Pasoli IV 65sq., Marr ClQ 64 [1970] 173*) mortis *Lütjohann*; *sed cf. Camps IV 95*

5

Terra tuum spinis obducat, lena, sepulcrum
et tua, quod non uis, sentiat umbra sitim;
nec sedeant cineri Manes, et Cerberus ultor
turpia ieiuno terreat ossa sono!
docta uel Hippolytum Veneri mollire negantem,
concordique toro pessima semper auis,
Penelopen quoque neglecto rumore mariti
nubere lasciuo cogeret Antinoo.
illa uelit, poterit magnes non ducere ferrum
et uolucris nidis esse nouerca suis.
quippe et, Collinas ad fossam mouerit herbas,
stantia currenti diluerentur aqua.
audax cantatae leges imponere lunae
et sua nocturno fallere terga lupo,
posset ut intentos astu caecare maritos,
cornicum immeritas eruit ungue genas;
consuluitque striges nostro de sanguine, et in me
hippomanes fetae semina legit equae.
exorabat opus uerbis † ceu blanda perure †
saxosamque forat sedula gutta uiam:

5 ad l(a)enam (-n P) L P D V **2** non uis] nolis *Burman*; non uis *nonnulli edd. improbant, lenam iam mortuam esse putantes: cf. tamen Sh. Bailey 240, qui tota de re recte iudicat* **3** nec cedant *Fruter* : nec se dent *Heinsius*; *cf. CLE 197,2 B.* assint quieti cineribus Manes tui et] sed ς; *cf. tamen 4,7,25; 4,8,43; Spandau Serm. Prop. 6sq.* **5** docta] nocto F (*corr.* F^4) : nocte L P D V (*corr.* V^2) **6** auis] anus ς **9** poterit] poterat *Fontein* : potuit *Baehrens*; *sed huius structurae exempla inueniri possunt ap. Leo Kl. Schr. I 103. 237* non ducere] inducere F (*corr.* F^4) L P **15** possit ς ut] et ω (*contra distichi elegiaci structuram*), *corr.* ς; *cf. B.-B. 351, Fedeli 157* **18** (h)ip(p)omenes ω, *corr.* V^2 **19** ceu blanda perure N F L D V :

'Si te Eoa † dorozantum † iuuat aurea ripa,
et quae sub Tyria concha superbit aqua,
Eurypylique placet Coae textura Mineruae,
sectaque ab Attalicis putria signa toris,
seu quae palmiferae mittunt uenalia Thebae,
murreaque in Parthis pocula cocta focis;
sperne fidem, prouolue deos, mendacia uincant,
frange et damnosae iura pudicitiae!
et simulare uirum pretium facit: utere causis!
maior dilata nocte recurret amor.
si tibi forte comas uexauerit, utilis ira:
post modo mercata pace premendus erit.

ceu blanda peruret P (perurens P^2) Vo V^2; *locus deperditus multis modis ab editoribus temptatus: cf. e. g.* ceu blanda pererrat *Waardenburgh* : ceu biatta papyrum *Hosius* : heu blanda, perinde *Housman* (*sed cf. Axelson Unpoet. Wört. 136*) : tu blanda perure *Barber*; ceu *nimis confidenter def. Tränkle 47; de particula* ceu *ap. elegiacos cf. enim Axelson Unpoet. Wört. 89 adn. 82. Genuina Propertii uerba mea sententia reddi non possunt; cf. tamen de prouerbio quod in u. 20 legitur Otto Sprichw. 157* (*s. u.* gutta) **20** forat] ferat ω : terat *Itali, corr. Rossberg*; *de re cf. Ouid. am. 1,8,18* et solidam longo carmine findit humum gutta] culpa ω : talpa V^2, *corr. Jacob*
21 dorozantum N (*sed hoc populi nomen nusquam alibi legitur: cf. ThLL Onom. III 243,63*) : de rorantum F P derorantum L D V : deroratum Vo : roratum V^2 : Domazanum *Unger* (*fort. recte: cf. Plin. nat. 6,176, ThLL Onom. III 210,82*) : Zarodontum *Tomaschek* : zmaragdorum *uel* topazorum *Housman* : *alii alia* **23** Eurypylisque (*i. e.* Eurypylea) *Heinsius* (*probb. B.-B. 353*); *sed de duplici genetiuo cf. 4,1,103* harenosum Libyae louis ... antrum, *K.-St. I 416* **24** sextaque F L P D V (*corr.* V^2) : textaque *Itali* **25** seuque N : seu quam F P Δ : seuq L : se quam F^4, *corr.* P^2 **28** frange et] frangent ω, *corr.* ς

denique ubi amplexu Venerem promiseris empto,
fac simules puros Isidis esse dies.
ingerat Aprilis Iole tibi, tundat Omichle
natalem Maiis Idibus esse tuum.
supplex ille sedet: posita tu scribe cathedra
quidlibet; has artis si pauet ille, tenes!
semper habe morsus circa tua colla recentis,
litibus alternis quos putet esse datos.

34 similes N Vo F^4 P^2 V^2 : *om.* F L P D V, *corr.* ς; *cf. Tränkle 176* Isidis] sideris ω (*deff. Mulvany ClR 5 [1891] 433, Alfonsi GIF 1 [1948] 66, Hum. 2 [1949] 183sq., Pasoli IV 67, coll. Plin. nat. 2,37, qui Veneris sidus Isidis quoque appellatum esse testatur; hic tamen* sidus *unde positum ualde displicet: cf. praeterea Ouid. am. 1,8,73sq.* saepe nega noctes, capiti modo finge dolorem, / et modo quae causas praebeat, Isis erit) : Isidos *Havet* (*prob. Goold HStCPh 71 [1966] 95*), *corr. Beroaldus* dies] deos L P D V (*corr.* V^2) **35** Hyale *Palmer* tibi tondat L Δ : circumdat F : contendat *Heinsius* (*sed cf. Housman Class. Pap. 261*); *cf. Ter. Hec. 123 et de uerbalis uocis q. e.* tundere *usu Hofmann Umg. 155. 173, Neumann 69, Tränkle 138* amicle (amy-) N V^2 *in ras.* : omicle F L P N^2 : omincle D : amidae Vo, *corr. Palmer* (*ex* ὁμίχλη) **36** Maiis] malis N F L P V : Mais *L. Müller*; *cf. Leo RhM 35 (1880) 442* **38** quilibet F (*corr.* F^4) L P D V : quod libet Vo : quoilibet *Baehrens*; *cf. Tränkle 176* paues Vo : timet P **39** circum P **40** litibus] lusibus *Guyet* : dentibus *Heinsius*; *Heinsii coniecturam probb. B.-B. 353, qui nimis subtiliter* lites "amantium luctamina" *significare posse negant: idem legitur apud Yardley Herm. 104 (1976) 128: sed uide Sh. Bailey ClQ 43 (1949) 28, qui 3,8,21 confert, et adde 2,15,4, Catull. 66,13, Hor. carm. 1,13,9sqq.* alterius F L P D V (*corr.* F^2 V^2); alternis *deff. Sh. Bailey ClQ 43 (1949) 28, coll. Stat. Theb. 11,112, et Pasoli IV 67, qui cum Camps IV 101* lites alternas *mutua amatorum luctamina esse censet: cf. Tib. 1,6,13sq., Iuuen. 6,268* putat F (*corr.* F^2) L : *om.* Vo

nec te Medeae delectent probra sequacis
(nempe tulit fastus ausa rogare prior),
sed potius mundi Thais pretiosa Menandri,
cum ferit astutos comica moecha Getas.
in mores te uerte uiri: si cantica iactat,
i comes et uoces ebria iunge tuas.
ianitor ad dantis uigilet: si pulset inanis,
surdus in obductam somniet usque seram.
nec tibi displiceat miles non factus amori,
nauta nec attrita si ferat aera manu,
aut quorum titulus per barbara colla pependit,
cretati medio cum saluere foro.
aurum spectato, non quae manus afferat aurum!
uersibus auditis quid nisi uerba feres?
'Quid iuuat ornato procedere, uita, capillo
et tenuis Coa ueste mouere sinus?'

41 nec] non F L P D V; *cf. Lease AJPh 34 (1913) 271* **43** pretiosa] speciosa Vo; *sed cf. 3,13,1, Plaut. Bacch. 74* **44** comica moecha] comis amica *Guyet*; *cf. tamen Hor. sat. 2,5,91 (sim. Prop. 2,20,29), Tränkle 121. 129* getes N **47** ad dantis *CIL IV 1894* (*Inscr. Pomp. = CLE 1785 B.; cf. Haupt Opusc. II 101*) : ad dantes ω pulsat *CIL IV 1894*; *cf. Buecheler Kl. Schr. I 91* **48** abductam Vo : adductam *Heinsius* **49** factus] fractus *cod. Sahnant. 86* (*prob. Tovar Homm. Niedermann 328*) **50** aera] acra N F (*corr.* F^4) : ora P^2 **52** c(a)elati N F L P D V (*def. Pasoli IV 67*) : elati Vo, *corr. Passerat*; *cf. Tib. 2,3,59sq., Ouid. am. 1,8,63sq., Plin. nat. 35,199-201, Tränkle 129* saliere F D V (*corr.* F^4 V^2) : siluere Vo; *cf. B.-B. 354* **55-56** *om.* ς (*probb. Knoche RhM 85 [1936] 11-28, Jachmann St. Paoli 414-421*); *tradita deff. nonnulli: cf. in primis E. Reitzenstein Wirkl. 95sqq., Luck Herm. 83 (1955) 430-433, qui 3,13,43-46 confert, Pasoli Conu. 25 (1957) 495; 33 (1965) 628, Stroh 64 adn. 33; uu. 55-56 olim deleui (cf. Fedeli 164); nunc tamen Sh. Bailey PCPHS 182 (1952-53) 16-20 mihi persuasit* **55** uitta Δ : uincta P F^3 **56** tenere F

qui uersus, Coae dederit nec munera uestis,
  istius tibi sit surda sine aere lyra.
dum uernat sanguis, dum rugis integer annus,
  utere, ne quid cras libet ab ore dies!
uidi ego odorati uictura rosaria Paesti
  sub matutino cocta iacere Noto.'
his animum nostrae dum uersat Acanthis amicae,
  per tenuem ossa ⟨mihi⟩ sunt numerata cutem.
sed cape torquatae, Venus o regina, columbae
  ob meritum ante tuos guttura secta focos!
uidi ego rugoso tussim concrescere collo,
  sputaque per dentis ire cruenta cauos,
atque animam in tegetes putrem exspirare paternas:
  horruit algenti pergula curta foco.

57–58 *del. Knoche RhM 85 (1936) 52–63; tradita deff. Dornseiff Herm. 71 (1936) 459sq., E. Reitzenstein Wirkl. 96* **57** quid F L P (*corr. ead. man.*) D **58** ipsius ω, *corr. cod. Groning. bibl. Vniu. 159*; ipsius *def. Sh. Bailey ClQ 43 (1949) 28, coll. Cic. Att. 13,29,1 (2), Ouid. am. 2,19,36; cf. tamen Knoche RhM 85 (1936) 55 et uide Ehlers ThLL VII 2,505,3sq.* aere] arte F L P Δ (*corr.* V^2), *probb. B.-B. 354*; *cur* sine aere *absurdum sit (sic Housman Class. Pap. 275) ego re uera non intellego: cf. Fedeli 166* **60** nec V^2 **61** odoratum ... Paestum *Schippers* **63** animus N L P Vo : animis F D V : animos V^2, *corr.* ς **64** tenues ... cutes ω, *corr. Jacob*; *pluralis* cutes *obstat, non prosodica ratio, ut contra censent L. Müller De re metrica 395 et Leo Kl. Schr. II 188; cf. enim Housman Class. Pap. 118, qui recte de corruptelae origine iudicat, Tränkle 117 adn. 1* mihi *post* ossa *suppl. Jacob* : suam *add. Palmer* (*quod olim probaui: cf. Fedeli 167*) : a me *add. Barber* **65–66** sed (cape ... focos) *dist. Broukhusius* : *post u.* 62 *transt. Sh. Bailey 243* (*prob. Barber*) **68** canos F L P **70** percula N L P Δ : peruula F : paruula D^2 : pocula V^2, *corr.* ς; *cf. Tränkle 123* curua ω (*def. Postgate PCPHS 1880,386, non improbante Sh. Bailey 243*), *corr.* ς; *cf. Tränkle 130*

exsequiae fuerant rari furtiua capilli
  uincula et immundo pallida mitra situ
et canis, in nostros nimis experrecta dolores,
  cum fallenda meo pollice clatra forent.
sit tumulus lenae curto uetus amphora collo:
  urgeat hunc supra uis, caprifice, tua.
quisquis amas, scabris hoc bustum caedite saxis,
  mixtaque cum saxis addite uerba mala!

6

Sacra facit uates: sint ora fauentia sacris
  et cadat ante meos icta iuuenca focos.
cera Philiteis certet Romana corymbis
  et Cyrenaeas urna ministret aquas.

71 fuĕrunt *Passerat* (*prob. Nisbet JRSt 56 [1966] 276*) : fuerint *Graeuius, probb. Sh. Bailey 244, Camps IV 103*; *cf. tamen Fedeli 169* **72** pallia N **73** exporrecta N F (*corr.* F^3) L P Vo V^2 **74** caltra N F L D V : cultra P V^2 : cultura Vo, *corr. cum dett. Beroaldus* (*qui et* claustra *dub. coni., prob. Rothstein II 273*); *cf. Tränkle 113sq.* **76** hanc ς *(et Pocchus)* **77** c(a)edito ω (*probb. L. Müller De re metrica 415, Sommer 519, qui Ouid. trist. 4,3,72* estŏ *coufert*), *corr.* ς *(et Liuineius)*; *cf. Draeger II 523, Neumann 16sq.*

6 *adhaeret priori carmini in* N F L P D V : *dist.* Vo N^2 V^2 **2** cadet F L P D V (*corr.* V^2), *perperam prob. Richter WSt 79 [1966] 452 adn. 3* icta] ista F : rite *Damsté*; *sed cf. Ouid. fast. 1,719sq.; Pont. 2,9,26; 4,8,42* **3** cera] serta (*n. plur.*) *Scaliger* : ara *Haupt* (*Opusc. II 65; cf. Pasquali Orazio 118*) : creta *Unger* : cerra *Sittl*; serta *probant nonnulli edd., inter quos B.-B. 355, Camps IV 104sq., qui tamen* serta *pro fem. sg. habent, coll. 2,33,37; uide etiam Kambylis 176sq. adn. 156*; cera *recte defenditur a Lachmann 369 ("tabulam ceratam dixit, in qua scribebat") et a Sh. Bailey 244; cf. etiam Schuster Ph 81 (1926) 476sq.* ("cera *i. q.* poesis"), *Eisenhut Herm. 84 (1956) 124* philippeis ω, *corr.* ς; *cf. 2,34,41; 3,1,1; 3,3,52; 3,9,44; Maass Herm. 31 (1896) 402; Eisenhut Herm. 84 (1956) 125* certent *Scaliger*

costum molle date et blandi mihi turis honores,
terque focum circa laneus orbis eat!
spargite me lymphis, carmenque recentibus aris
tibia Mygdoniis libet eburna cadis.
ite procul fraudes, alio sint aere noxae:
pura nouum uati laurea mollit iter.
Musa, Palatini referemus Apollinis aedem:
res est, Calliope, digna fauore tuo.
Caesaris in nomen ducuntur carmina: Caesar
dum canitur, quaeso, Iuppiter ipse uaces.
est Phoebi fugiens Athamana ad litora portus,
qua sinus Ioniae murmura condit aquae,
Actia Iuleae pelagus monumenta carinae,
nautarum uotis non operosa uia.
huc mundi coiere manus: stetit aequore moles
pinea, nec remis aequa fauebat auis.
altera classis erat Teucro damnata Quirino,
pilaque femineae turpiter apta manu:

11 *nou. eleg. inc.* F L P Δ : *in mg. dist.* N ad iouem L D V : de uictoria augusti contra antonium fauore apollinis et fuga cleopatre P referamus V Vo **12** furore Vo V^2 **13** numen *Helmbold*; *sed cf. Sh. Bailey 245, qui* in nomen *i. q.* in gloriam *interpretatur, coll. Stat. Theb. 6,76* probatos / in nomen pascebat equos; *cf. etiam Nisbet-Hubbard Hor. 99* **15** est, Phoebi *dist. Rothstein II 277, qui* pelagus *pro subiecto habet; cf. tamen Schneidewin Ph 1 (1846) 380, Fedeli 175* **18** uia est P **21** Teucro] tenero V D^2, *quod iure refellit Housman Class. Pap. 1237; de Romulo, non de Augusto (ut censent Scott TAPhA 56 [1925] 99 et B.-B. 356) agitur: cf. Lachmann 370, Sh. Bailey 245* **22** feminea ... apta N F L P (*def. Pasoli IV 68*) : feminea ... acta Δ F^2 P^2, *corr. Markland*; *cf. Hor. epod. 7,1sq.* cur dexteris aptantur enses conditi, *Housman Class. Pap. 301, Goold HStCPh 71 (1966) 70; de datiuo in* -u *exeunte apud elegiacos cf. L. Müller De re metrica 478; de dat.* manu *apud Propertium cf. 1,11,12; 2,1,66*

hinc Augusta ratis plenis Iouis omine uelis,
signaque iam patriae uincere docta suae.
tandem aciem geminos Nereus lunarat in arcus,
armorum et radiis [p]icta tremebat aqua,
cum Phoebus linquens stantem se uindice Delon
(nam tulit iratos mobilis un[d]a Notos)
astitit Augusti puppim super, et noua flamma
luxit in obliquam ter sinuata facem.
non ille attulerat crinis in colla solutos
aut testudineae carmen inerme lyrae,
sed quali aspexit Pelopeum Agamemnona uultu
egessitque auidis Dorica castra rogis,

23 hic F V^2; *sed* hinc (*i. e.* ex nostra parte) *recte tuetur Camps IV 107: cf. enim Verg. Aen. 8,678* hinc Augustus agens Italos in proelia Caesar **25** acies ς (*prob. Luck*); *sed cf. uu. 19sq.* moles ... pinea, *Ferrabino RFIC 52 (1924) 458 adn. 1* Nereus] neruis ω, *corr.* F^4; *cf. Gross De meton. serm. 386sq., Bömer, Ouid. Met. 1–3, Heidelberg 1969, 83* limarat N P (*corr.* P^2) D Vo (*de corruptelae origine cf. Housman Class. Pap. 355*) : liniarat L : laniarat L^2; *cf. Ouid. am. 1,1,23, Lucan. 3,533sq. et uide Kromayer Herm. 34 (1899) 43 adn. 5, Paladini Lat. 17 (1958) 468sq., Jocelyn Enn. 201* **26** et *om.* ς; *de particula* et *postposita cf. Norden Aen. 402–404* picta ω (*def. Williams Trad. and Orig. 654*) : tacta *Richards, corr. Dausqueius (probb. Housman Class. Pap. 331, Sh. Bailey 245, qui Claud. 1,122sq.* immensaque cornus in hastam / porrigitur tremulisque ferit splendoribus Hebrum *confert*) armorum radiisque icta *Housman* **28** non F^2 (*probb. Richards ClR 13 [1899] 17 et Camps IV 108; de parenthesi cf. tamen Fraenkel Kl. Beitr. I 78 adn. 2*) unda ω, *corr.* ς; *cf. Sh. Bailey 246, Fedeli 177* **34** egissetque ω, *corr.* V^2; *de* egessit *i. q.* extulit *Sh. Bailey 247 confert Manil. 1,885, Ps. Quint. decl. 10,1, Oros. hist. 3,10,2*

aut qualis flexos soluit Pythona per orbis
  serpentem, imbelles quem timuere lyrae.
mox ait: 'O Longa mundi seruator ab Alba,
  Auguste, Hectoreis cognite maior auis,
uince mari: iam terra tua est: tibi militat arcus
  et fauet ex umeris hoc onus omne meis.
solue metu patriam, quae nunc te uindice freta
  imposuit prorae publica uota tuae.
quam nisi defendes, murorum Romulus augur
  ire Palatinas non bene uidit auis.
et nimium remis audent prope: turpe Latinis
  principe te fluctus regia uela pati!
nec te, quod classis centenis remiget alis,
  terreat (inuito labitur illa mari),
quodque uehunt prorae Centaurica saxa minantis
  (tigna caua et pictos experiere metus).
frangit et attollit uires in milite causa;
  quae nisi iusta subest, excutit arma pudor.

35 quali *Rossberg* **36** lyrae] deae *ed. Eton. a. 1701* (*probb. B.-B. 357, Camps IV 109*) : ferae *Sterke*; lyrae *tuetur Hor. carm. 1,6,10* imbellisque lyrae Musa potens uetat (*cf. Nisbet-Hubbard Hor. 86*); *de* lyra = Musa *cf. Stat. Theb. 7,630* **39** tibi] mihi Vo V^2 **43** augur] auctor ς; *sed de Romulo murorum augure cf. Skutsch St. Enn. 63sqq.* **45–46** *post u.* 52 *transt. Housman* **45** en *Puccius (prob. Luck 400)*; *sed cf. 4,4,63; 4,11,97* nimium] numen L P D V (*corr.* V^2) : lumen F (*corr.* F^4) D^2 prope] proh *Scaliger* Latinos *Markland* (*prob. Camps IV 110*); *cf. tamen de structura Cic. off. 3,87* turpe imperio **47–50** *ita distinxi* **47** remigat ς; *sed de indicatiuo cum coniunctiuo apud Propertium coniuncto cf. 2,16,29sq.; 2,30,29sq.; 2,34,33–36; 3,5,25–29. 36sq.* **48** inuicto F (*corr.* F^4) : et multo V^2 **49** quique L P : quotque ς (*probb. B.-B. 358*); *cf. tamen Fedeli 180* **50** experiare L P Δ (*corr.* V^2) F^4 : experirare F

tempus adest, committe ratis: ego temporis auctor
  ducam laurigera Iulia rostra manu.'
dixerat, et pharetrae pondus consumit in arcus:
  proxima post arcus Caesaris hasta fuit.
uincit Roma fide Phoebi: dat femina poenas:
  sceptra per Ionias fracta uehuntur aquas.
at pater Idalio miratur Caesar ab astro:
  'Tu deus; est nostri sanguinis ista fides.'
prosequitur cantu Triton omnesque marinae
  plauserunt circa libera signa deae.
illa petit Nilum cumba male nixa fugaci,
  hoc unum, iusso non moritura die.
di melius! quantus mulier foret una triumphus,
  ductus erat per quas ante Iugurtha uias!
Actius hinc traxit Phoebus monumenta, quod eius
  una decem uicit missa sagitta ratis.
bella satis cecini: citharam iam poscit Apollo
  uictor et ad placidos exuit arma choros.
candida nunc molli subeant conuiuia luco,
  blanditiaeque fluant per mea colla rosae,

56 fuit] furit *Guyet*; *sed cf. Sil. 6,263* **59** italio N miratus *Itali* **60** sum deus est N F L P V : sum deus et D Vo V^2 : sum deus en ς : tum deus: est *Lachmann* : tu meus: est *Baehrens* : tu deus es: *Richter, ipse correxi* uestri L D V (*corr.* V^2); *sed cf. Neumann 82* **63** ille F L Δ (*corr.* F^4 V^2) nixa] nacta *Paley*; *sed cf. Catull. 64,84* utque ita naue leui nitens ac lenibus auris; *uide etiam Lieberg Herm. 90 (1962) 469* **64** hoc unum] hoc cursu *Barber*; *cf. Vahlen Opusc. I 109* **65** tantus F **71** candida] condita *Heinsius*; *sed cf. Tib. 2,1,16; Ouid. am. 2,13,23; fast. 2,654; 4,906* subeam ς; *de iunctura cf. Verg. Aen. 8,125* **72** blanditaeque *cod. Paris. Lat. 8458* (*prob. Camps IV 112, coll. Plin. nat. 9,35; 10,67*); *sed de sing. collectiuo* (rosae = rosarum) *cf. 3,3,36; 3,5,22; 4,8,40*

uinaque fundantur prelis elisa Falernis,
perque lauet nostras spica Cilissa comas.
ingenium positis irritet Musa poetis:
Bacche, soles Phoebo fertilis esse tuo.
ille paludosos memoret seruire Sycambros,
Cepheam hic Meroen fuscaque regna canat;
hic referat sero confessum foedere Parthum:
'Reddat signa Remi, mox dabit ipse sua:
siue aliquid pharetris Augustus parcet Eois,
differat in pueros ista tropaea suos.
gaude, Crasse, nigras si quid sapis inter harenas:
ire per Euphraten ad tua busta licet.'
sic noctem patera, sic ducam carmine, donec
iniciat radios in mea uina dies.

74 terque V^2; *sed hoc unum tmesis (de qua cf. Löfstedt peregr. Aeth. 186sq.) exemplum apud Propertium haud dubie dignitatem uoci uerbali* perlauare *tribuit, quae perraro usurpatur: cf. Questa BPEC N. S. 24 (1976) 126 adn. 12; uide etiam Leo Kl. Schr. II 193* **75** potis D V (*prob. Enk Mn S. IV 2 [1949] 168sq.; sed cf. Jacoby RhM 69 [1914] 396 adn. 2, Neumann 82, La Penna SIFC N. S. 25 [1951] 208, Fedeli 185*) irritat *Canter* (*prob. Enk Comm. crit. 328; sed cf. Neumann 82*) **78** meroin N L P : meroyn F : miroin V : mereoen D Vo, *corr.* V^2 **79** h(a)ec F L P : hoc Δ (*corr.* V^2) : hinc *ed. princeps* sero] ferro D V (*corr.* V^2) F^3 : fere F (*corr.* F^4); *cf. H. D. Meyer Außenpolitik 79* **80** reddit ς : reddita *Enk*; *sed cf. B.-B. 359, Camps IV 113* **81** aliquis ω, *corr.* ς; *de* si aliquid *pro* si quid *ap. Prop. cf. 2,14,31; 2,22,11; 2,34,53; 4,9,45* **82** differet *Francius* **83** pigras *Cornelissen*; *sed cf. Sh. Bailey 248sq.* **85** noctem] uocem F L Δ (*corr.* V^2) : uoctem P (*corr.* P^2) F^4; *de nexu* noctem ducere *cf. Verg. Aen. 9,166* carmina N

7

Sunt aliquid Manes: letum non omnia finit,
luridaque euictos effugit umbra rogos.
Cynthia namque meo uisa est incumbere fulcro,
murmur ad extremae nuper humata uiae,
cum mihi somnus ab exsequiis penderet amoris
et quererer lecti frigida regna mei.
eosdem habuit secum quibus est elata capillos,
eosdem oculos: lateri uestis adusta fuit,
et solitum digito beryllon adederat ignis,
summaque Lethaeus triuerat ora liquor.
spirantisque animos et uocem misit: at illi
pollicibus fragiles increpuere manus:
'Perfide nec cuiquam melior sperande puellae,
in te iam uires somnus habere potest?
iamne tibi exciderant uigilacis furta Suburae
et mea nocturnis trita fenestra dolis,

7 de cynthia L D V : de cinthia ad ipsum post mortem uenientem P **2** eiunctos N P : euinctos F L Δ : exstructos *codd. Passeratii* : exstinctos *Passerat* (*prob. Luck 400: cf. fortasse Ouid. trist. 4,10,85*) : erectos *Hailer*; *corr.* F^4; *sic intellegendum*: umbra euincit rogos eosque effugit; *tradita deff. Sh. Bailey 249 (coll. Sen. Herc. O. 1966), Camps IV 115 (coll. Ouid. met. 14,75sq.; 15,706); cf. etiam ThLL V 2,1042,56sqq.* **5** amores N : amaris ς : amarus *Liuineius* **7** hosdem ω, *corr.* ς; *cf. app. ad 2,26,43 et, de synizesi ap. poetas Augusti aetatis, Norden Aen. 130sq.* capillis N L; *probb. Rothstein II 293, Neumann 78, La Penna SIFC N. S. 25 (1951) 236, Pasoli IV 68, qui* capillis *difficiliorem lectionem putant: cf. tamen Housman Class. Pap. 290, Fedeli 190* **8** hosdem F L P Δ; *cf. Housman Class. Pap. 251* **9** ademerat Δ (*corr.* V^2); *cf. Ouid. am. 1,15,41sq.* ergo etiam cum me supremus adederit ignis / uiuam **11** spirantis ς; *cf. H.-Sz. 515sq.* **15** exciderunt ς; *hic non agitur de ppf. pro pf.: cf. Sh. Bailey 249, qui Sen. Phaedr. 589 confert* furta] tecta F L P Δ (*corr.* V^2); *de corruptelae origine cf. Housman Class. Pap. 256* Suburae] subire L Δ (*corr.* V^2) F^4

per quam demisso quotiens tibi fune pependi,
alterna ueniens in tua colla manu?
saepe Venus triuio commissa est, pectore mixto
fecerunt tepidas pallia nostra uias.
foederis heu taciti, cuius fallacia uerba
non audituri diripuere Noti!
at mihi non oculos quisquam inclamauit euntis:
unum impetrassem te reuocante diem:
nec crepuit fissa me propter harundine custos,
laesit et obiectum tegula curta caput.
denique quis nostro curuum te funere uidit,
atram quis lacrimis incaluisse togam?

19 commixta N L P D V : commista F est] et *Guyet* **20** trepidas F L P (*corr.* P^2) Δ; *cf. 1,16,22* turpis et in tepido limine somnus erit, *Catull. 63,65* mihi lemina tepida pallia] pectora F L P D V (*corr.* F^4 V^2), *sed cf. Housman Class. Pap. 282* : proelia *anon. ap. Lütjohann* : corpora *Rossberg*; *cf. Ouid. am. 1,4,47-50* **21** taciti] tecti *Postgate dub.* : pacti *Palmer* (*prob. Goold HStCPh 71 [1966] 68, cuius sententia* tacitum foedus *absurdum est propter* uerba a Notis direpta; *sed* tacitus *hic idem ualet ac* furtiuus, *ut iam intell. R. Reitzenstein Spr. d. lat. Erotik 33; cf. etiam Sh. Bailey 249sq.*) **23** oculis N, *corr.* N^2 inclinauit Vo; *cf. Tränkle 84* euntis] hiantes *Heinsius* : eunti *Reland* (*sed cf. Goold HStCPh 71 [1966] 90*) : hebentes *Barber*; euntis *def. Löfstedt Synt. I 235-237, qui tamen de genet. cum dat. coniuncto cogitat; quam interpretationem, olim a Tränkle 75. 164 probatam, iure respuunt ipse Tränkle Herm. 96 (1968) 574-577, Pasoli Euphr. 2 (1968) 103-105, Goold HStCPh 71 (1966) 90*; *mea sententia uox* euntis *acc. pl. est, ad* oculos *pertinens: cf. enim* morientes oculi *ap. Amm. 16,12,53*, morientia lumina *ap. Verg. Aen. 10,463, Ouid. met. 9,391, Sil. 17,456, Stat. Theb. 10,303*, labentes oculi (*de moriente*) *ap. Verg. Aen. 11,818, Ouid. trist. 3,3,44, Quintil. inst. 6 prooem. 12, Ps. Quintil. decl. 8,5* **25** fixa F Vo V^2

si piguit portas ultra procedere, at illuc
iussisses lectum lentius ire meum.
cur uentos non ipse rogis, ingrate, petisti?
cur nardo flammae non oluere meae?
hoc etiam graue erat, nulla mercede hyacinthos
inicere et fracto busta piare cado.
Lygdamus uratur - candescat lamina uernae -
sensi ego, cum insidiis pallida uina bibi -
aut Nomas - arcanas tollat uersuta saliuas;
dicet damnatas ignea testa manus.
quae modo per uilis inspecta est publica noctes,
haec nunc aurata cyclade signat humum;
et grauiora rependit iniquis pensa quasillis,
garrula de facie si qua locuta mea est;
nostraque quod Petale tulit ad monumenta coronas,
codicis immundi uincula sentit anus;
caeditur et Lalage tortis suspensa capillis,
per nomen quoniam est ausa rogare meum.
te patiente meae conflauit imaginis aurum,
ardent⟨e⟩ e nostro dotem habitura rogo.

30 iussisset N (*corr. ead. man.*) letum D V **33** erit F L P Δ; *cf. Neumann 89* **35-38** *post u.* 72 *transt. Postgate, post u.* 76 *Schrader* : *sic dist. Alton Hermath. 49 (1935) 51sq.*; *cf. Fedeli 195* **36** insidiis] in cyathis *Rossberg*; *uox* insidiae *instrumenta insidiandi designat ap. Verg. Aen. 2,36, Sil. 2,117: cf. ThLL VII 1,1892,24sqq.* **37** at V^2 : ut ς (*probb. Camps IV 119, Luck 400*) : an *Guyet* : et *Lütjohann* : haut *Baehrens* colat P^2 salinas N F L D V : sabinas P; *cf. Plin. nat. 28,65* **41** at *Markland* rependit] fundit F L Δ (*corr.* F^4 V^2) : effundit P; *cf. Ouid. epist. 9,78* aequaque formosae pensa rependis erae **44** sensit P **45** lalace N F L P **46** negare V^2 **47-48** *post u.* 40 *transt. Schrader* (*prob. Luck 400*) **48** ardente e] ardent e (e' N : ex Vo V^2) ω, *corr.* ς

non tamen insector, quamuis mereare, Properti:
  longa mea in libris regna fuere tuis.
iuro ego Fatorum nulli reuolubile carmen,
  tergeminusque canis sic mihi molle sonet,
me seruasse fidem. si fallo, uipera nostris
  sibilet in tumulis et super ossa cubet.
nam gemina est sedes turpem sortita per amnem,
  turbaque diuersa remigat omnis aqua.
una Clytaemestrae stuprum uel adultera Cressae
  portat mentitae lignea monstra bouis.
ecce coronato pars altera rapta phaselo,
  mulcet ubi Elysias aura beata rosas,
qua numerosa fides quaque aera rotunda Cybebes
  mitratisque sonant Lydia plectra choris.

51 carmen] stamen *Guyet, prob. Enk Comm. crit. 333* (*cf. Stat. Theb. 7,774sq.; Sen. Herc. f. 181sq.*); *sed* Fatorum carmen *idem ualet ac* Parcarum carmen: *cf. Catull. 64,321. 383, CLE 55,13 B.* **55–70** *post u.* 92 *transt. Fontein* **55** geminas sedes *Passerat, quo probato* est *post* amnem *aut post* turpem *inserendum put. Rossberg* : geminam est sedem *Palmer* **56** turbaque] cumbaque *Housman* **57** unda *Hertzberg* (*probb. Solmsen Ph 105 [1961] 282 adn. 3, Pasoli IV 68, qui tamen censet* lignea monstra *obiectum esse uerbalis uocis* portat) : cumba *Rossberg* clytaemnestrae D Vo V^2 : clytemmestrae V; *cf. Fraenkel Kl. Beitr. II 351* uel adultera] uehit altera ω : uehit aut ea *Camps* (*prob. Luck 400; quam coniecturam iure refellit Tränkle Herm. 96 [1968] 566 adn. 1*) : *alii alia*; *corr. Ellis JPh 9 (1880) 237; cf. etiam JPh 19 (1890) 177sq.*; *intellege* una aqua portat stuprum Clytaemestrae (*i. e.* Clytaemestram stupratam) uel Cressae, quae mentita est adultera monstra lignea bouis Cressam ... mentitam *Haupt* **58** bouem *Postgate in app.* ; ratis *Palmer* **59** rapta] parta ω : uecta ς : carpta *Weidgen* : parua *Otto* : *alii alia*; *corr. Palmer* **61** quaque aera rotunda] qua quaerar ut unda N V^2 : quae quaerat nuda F (et unda *sup.* F^4) : qua qu(a)erat ut

Andromedeque et Hypermestre sine fraude maritae
  narrant historiae tempora nota suae:
haec sua maternis queritur liuere catenis
  bracchia nec meritas frigida saxa manus;
narrat Hypermestre magnum ausas esse sorores,
  in scelus hoc animum non ualuisse suum.
sic mortis lacrimis uitae sanamus amores:
  celo ego perfidiae crimina multa tuae.
sed tibi nunc mandata damus, si forte moueris,
  si te non totum Chloridos herba tenet:

unda L P Δ, *corr. Paris. Lat. 8233 in mg.*; *cf. Kroll Cat. 177, Fedeli 200* cybeles N : cibelles (cy-) F L P Δ, *corr. Itali*; *cf. Serv. ad Verg. Aen. 10,220*
63 marita *Heinsius*; *sed cf. B.-B. 364 et Camps IV 122; de re cf. Alfonsi RPh 23 (1949) 23* **64** errant *Havet* : maerent *Stroh 180 adn. 26*; *cf. 2,28,27* tempora] pectora ω, *corr. Ayrmann*; pectora *deff. Otto Herm. 23 (1888) 46, Uhlmann 32, quorum sententia gen.* historiae suae *a* nota *pendet; cf. etiam Stroh 180 adn. 26, Pasoli IV 69, qui uerba* historiae pectora nota *adpositionis uice fungi, ut in 4,1,12* rustica corda, *censet; uide tamen quae in commentario meo (p. 201) scripsi; cf. Tränkle 69 adn. 4 et app. ad Lucr. 2,46, Verg. Aen. 1,44* nota pericla *Heinreich, prob. Solmsen Ph 105 (1961) 284 adn. 1, coll. 2,28,27. 46* historias, pectora nota, suas *Markland* **65** nec V^2 sua maternis] sum(m)a (a)eternis (ect- F) ω, *corr. Paris. Lat. 8223 in mg.*; *cf. 3,22,29* non hic Andromedae resonant pro matre catenae, *Housman Class. Pap. 341. 352* **69** mortis] maestis *Burman* : multis *Lütjohann* : nostris *Otto*; *sed cf. Sh. Bailey 253 et de genetivo* (mortis lacrimis = lacrimis in morte profusis) *Ouid. epist. 14,42, met. 7,646, Owen ClQ 31 (1937) 13* sancimus *Rossberg*; *fort. recte: cf. enim Goold HStCPh 71 (1966) 64; uide tamen Sh. Bailey 252 et Solmsen Ph 105 (1961) 286 adn. 5* amores] amara *Markland* **72** si] sed F L P doridos V^2 **73** in] ut F ne quod F (*corr.* F^4) L P

nutrix in tremulis ne quid desideret annis
Parthenie: potuit, nec tibi auara fuit.
deliciaeque meae Latris, cui nomen ab usu est,
ne speculum dominae porrigat illa nouae.
et quoscumque meo fecisti nomine uersus,
ure mihi: laudes desine habere meas!
pone hederam tumulo, mihi quae praegnante corymbo
molli⟨a⟩ contortis alliget ossa comis.
ramosis Anio qua pomifer incubat aruis,
et numquam Herculeo numine pallet ebur,
hic carmen media dignum me scribe columna,
sed breue, quod currens uector ab urbe legat:
HIC TIBVRTINA IACET AVREA CYNTHIA TERRA:
ACCESSIT RIPAE LAVS, ANIENE, TVAE.

74 patuit ς; *de infinitini ellipsi cf. Uhlmann 13*; potuit *def. Leo Kl. Schr. 1 111, coll. Ouid. ars 2,53* aera non potuit Minos, alia omnia clausit **75** latrix Δ (*corr.* V²) **77** *om.* Vo meo N *ex corr.* **78** desine] me sine *Baehrens* **79** pone] pelle ω, *corr. Sandbach ClQ 56 (1962) 273*; *docta puella optare non potest ut hedera e sepulcro suo pellatur: cf. Camps IV 123, Goold HStCPh 71 (1966) 98 et exempla a Stroh 183 allata* pugnante ω, *corr. Cornelissen* **80–83** comis, . . . ebur. Hic *sic dist. Rothstein II 385* **80** molli ς : mollis *codd. Burmanni (prob. Camps IV 124), corr.* ς; mollis *pertinet ad ossa puellae mortuae ap. Mart. 5,34,9; cf. ThLL VIII 1374,15sqq.* alligat ω, *corr. cum dett. Sandbach* (nolim . . . alliget *coni. iam Sh. Bailey 254*) **81–82** *post u.* 4 *transt. Postgate* **81** ramosis . . . pomifer] pomosis . . . spumifer *Broukhusius*; *sed cf. Hor. carm. 1,7,13sq.* et praeceps Anio ac Tiburni lucus et uda / mobilibus pomaria riuis (*cf. Nisbet-Hubbard Hor. 102*), *Ouid. am. 3,6,46* Tiburis Argei pomifer arua rigas (*de quo uide Goold HStCPh 69 [1965] 51*) Anio] amo N F : hamo L D V (*corr.* V²) F² : almo P **82** nomine V² **83** hoc F L P D V **84** uictor F L P D V (*corr.* F⁴ V²) **85** hic Tiburtina iacet] sed tiburna iacet hic N D : sed tiburtina iacet

nec tu sperne piis uenientia somnia portis:
cum pia uenerunt somnia, pondus habent.
nocte uagae ferimur, nox clausas liberat umbras,
errat et abiecta Cerberus ipse sera.
luce iubent leges Lethaea ad stagna reuerti:
nos uehimur, uectum nauta recenset onus.
nunc te possideant aliae: mox sola tenebo:
mecum eris et mixtis ossibus ossa teram.'
haec postquam querula mecum sub lite peregit,
inter complexus excidit umbra meos.

8

Disce quid Esquilias hac nocte fugarit aquosas,
cum uicina nouis turba cucurrit agris.
Lanuuium annosi uetus est tutela draconis,
hic ubi tam rarae non perit hora morae,

hic F : tiburina iacet hic V *in ras.* Vo : sed tribuna iacet hic L, *corr.* P *in ras.*; *cf. Tib. 1,3,55, Ouid. trist. 3,3,73* **86** aniane N L P D V : auiane F : amanae Vo
93 nunc] nec F L P D V (*corr.* F⁴ V²) **95** pergit N

8 *priori elegiae coniungit* N (*dist. fort. man. rec.; cf. Birt XIII*) **1** quod N F (*corr.* F²) hac nocte agitarit *Heinsius* : nocte hac furiarit *Housman* **3** lamynium (lami-) P D V (*corr.* V²) : Lanuuii *Itali* : Lanuuio *Heinsius* et L P **4** hic ubi tam rarae] hic tibi tartareae ς : huc ubi tam rarae *Paley* (*prob. Luck 400*) : sicubi tam rarae *Lee* (*prob. Camps IV 127; sed de nexu* hic ubi *cf. Jacoby Herm. 87 [1959] 451 adn. 2*) *post* morae *durius distinguunt nonnulli edd., prob. Tränkle Herm. 96 (1968) 568 adn. 7; cf. tamen 4,6,15–19. Praeterea sententia in hexametro (non in pentametro, ut censet Träukle) incipit; qua de re recte iudicat Pinotti 131sq.; si quis censeat distichi leges hic uiolari, is attentius legat quae Fraenkel Kl. Beitr. II 73sqq. de tota hac re statuit*

qua sacer abripitur caeco descensus hiatu,
  qua penetrat uirgo (tale iter omne caue!)
ieiuni serpentis honos, cum pabula poscit
  annua et ex ima sibila torquet humo.
talia demissae pallent ad sacra puellae,
  cum temere anguino creditur ore manus.
ille sibi admotas a uirgine corripit escas:
  uirginis in palmis ipsa canistra tremunt.
si fuerint castae, redeunt in colla parentum,
  clamantque agricolae: 'Fertilis annus erit.'
huc mea detonsis auecta est Cynthia mannis:
  causa fuit Iuno, sed mage causa Venus.
Appia, dic quaeso, quantum te teste triumphum
  egerit effusis per tua saxa rotis,
turpis in arcana sonuit cum rixa taberna,
  si sine me, famae non sine labe meae!

6 (tale . . . caue!) *sic dist. ed. Cantabr. a. 1702, prob. Leo RhM 35 (1880) 433 adn. 1* : (uirgo, . . . caue!) *dist. Scaliger*; *cf. tamen Fedeli 207, Pinotti 135* **8** ima] una ω, *corr.* F^4 P^2 **9–14** (talia . . . erit) *dist. Haupt* : **9–10** *post u.* 12 *transt. Housman* **10** temere] tenera ς creditur] raditur *Cornelissen* (*prob. Luck 400*) : conditur *Birt* (*probb. Kroll Gl 11 [1921] 139, Prinz WSt 54 [1936] 98*); ore *pro dat. habent Rothstein II 310, Schuster WSt 41 (1919) 35sq., Neumann 18; de abl. abs. cogitat Hertzberg: ego uero, cum Löfstedt Synt. I 285–287, de liberiore abl. loc. usu agi censeo; cf. etiam Flinck-Linkomies 203* **11** corripit] colligit F L P D V (*corr.* V^2) **12** *post hunc uersum distichon excidisse putat Richmond* **15** aduecta P : ad uecta Vo; *non inepte: cf. enim de nexu* aduehere huc *Plaut. Merc. 511, Rud. 41, Verg. Aen. 1,558; sed de faciliore lectione agitur: cf. Pinotti 140 adn. 59* mannis] ab annis ω, *corr. Paris. Lat. 8233 in mg.*; *cf. Ouid. am. 2,16,49 et Neumann Qua ratione 14–16* **19–20** *post u. 2 transt. Lütjohann* (*probb. B.-B. 366, Luck 400, Camps IV 126*) : *del. Barber*; *cf. tamen Tränkle 180 adn. 1, Fedeli 209sq.*

spectaclum ipsa sedens primo temone pependit,
  ausa per impuros frena mouere locos.
serica nam taceo uulsi carpenta nepotis
  atque armillatos colla Molossa canis,
qui dabit immundae uenalia fata saginae,
  uincet ubi erasas barba pudenda genas.
cum fieret nostro totiens iniuria lecto,
  mu[l]tato uolui[t] castra mouere toro.
Phyllis Auentinae quaedam est uicina Dianae,
  sobria grata parum: cum bibit, omne decet.
altera Tarpeios est inter Teia lucos,
  candida, sed potae non satis unus erit.
his ego constitui noctem lenire uocatis
  et Venere ignota furta nouare mea.
unus erat tribus in secreta lectulus herba.
  quaeris concubitus? inter utramque fui.
Lygdamus ad cyathos, uitrique aestiua supellex
  et Methymnaei Graeca saliua meri.

21 spectaculum N L P Vo : spectandum F D V, *corr.* F^4 V^2; *cf. Neumann 10, Pinotti 144* **22** locos] iocos ς (*prob. Tovar ClPh 59 [1964] 35*); *sed cf. Camps IV 128* **23** serica nam taceo] si riganam tacto N F L P : siriga (siringa V^2) nam tacto Δ, *corr. Beroaldus*; *de* nam *secundo loco cf. Norden Aen. 403* nepoti N F L P D V **24** malosa N : molosa F L P **27** *nonam elegiam incipiunt Itali* **28** mul(c)tato (multa tato Vo) ω, *corr.* ς uoluit N F P Δ : noluit L, *corr.* ς *(et Beroaldus)* **29** *non. eleg. inc.* F L P Δ : *priori coniungit* N (*dist. man. rec.: cf. Birt XIII*) **31** est *om.* N (*post* inter *add.* N^2) **33** uenire N **34** notare F L P D V (*corr.* F^4 V^2) **35** herba] umbra *Heinsius*; *cf. tamen ThLL VI 3,2621,33sqq.* **36** discubitus *Palmer*; *sed cf. n. 34* utraque N F L^2 : utrasque F^3 **37** uitrique] utrique N Vo F^4 L^2 V^2 : uterque F L P D V, *corr. Scaliger*; *cf. Ps. Verg. Copa 29, Wilamowitz Hell. Dicht. II 313, Housman ad Lucan. 10,122, Class. Pap. 241* **38** Graeca] grata D V (*corr.* V^2); *def. Housman Class. Pap. 290, coll. Mart. 13,21; Plin. nat. 14,16; 23,40* : Graia *Palmier*; *sed cf. Axelson Unpoet. Wört. 51sq., La Penna SIFC N. S. 25 (1951) 236*

Nile, tuus tibicen erat, crotalistria † phillis †,
et facilis spargi munda sine arte rosa;
Magnus et ipse suos breuiter concretus in artus
iactabat truncas ad caua buxa manus.
sed neque suppletis constabat flamma lucernis,
reccidit inque suos mensa supina pedes.
me quoque per talos Venerem quaerente secundos
semper damnosi subsiluere canes.
cantabant surdo, nudabant pectora caeco:
Lanuuii ad portas, ei mihi, totus eram.

39 Nile, tuus] Nilotes *Scaliger*; *de apostrophe ad Nilum cf. Tib. 1,7,23, Ouid. met. 1,728* eboralistria N : colistria F : coralistria L P D V F^4 : c(h)oristria Vo V^2, *corr. Turnebus*; *cf. Neumann 40, Tränkle 116* phil(l)is ω (*quod nonnulli iure suspectum habent: ut enim dilucide adfirmat Leo Kl. Schr. II 193, si* Nile, tuus *de tibicine accipimus*, crotalistria *quoque patriae suae mentionem desiderat*) : Byblis *Palmer* : *alii alia* **40** et] haec *Baehrens*; *prob. Sh. Bailey 255, qui* rosa *pro abl. habet; in pentametro tamen supplendum est* aderat **41** Magnus] nanus *Paris. Lat. 8233* (*probb. Rothstein II 316, Neumann 40, Tränkle 121 adn. 2*); *sed* Magnus *ironice dicitur: cf. B.-B. 368, Camps IV 130, Pinotti 152 adn. 111* contractus ς; *sed cf. K.-St. I 98, ThLL IV 94,56sqq.* in arcus F L : in antro Vo **44** recidit F L P : decidit D V : recidite Vo **45** secundo N F L P Vo V^2 (*cf. Neumann 88sq.*) : secundam *Palmer* (*probb. Rothstein II 316, Camps IV 131*); *cf. tamen Fedeli 214* **48** lanium F : laminum P : laminii L D V (*corr.* V^2) totus] solus ω, *corr. Kuypers*; solus *defenditur a Rothstein II 317* ("ad solas Lanuuii portas"); *quam interpretationem respuit Pinotti 154* ("quamuis essem cum duobus scortis, solus eram"); totus *recte probatur a Goold HStCPh 71 (1966) 60, qui Cic. Att. 5,10, Hor. sat. 1,9,2, Ouid. fast. 6,251 confert; Sh. Bailey Att. III 204 Ter. Eun. 195 addit*

cum subito rauci sonuerunt cardine postes
et leuia ad primos murmura facta Laris;
nec mora, cum totas resupinat Cynthia ualuas,
non operosa comis, sed furibunda decens.
pocula mi digitos inter cecidere remissos,
palluerantque ipso labra soluta mero.
fulminat illa oculis et quantum femina saeuit,
spectaclum capta nec minus urbe fuit.
Phyllidos iratos in uultum conicit unguis:
territa uicinas Teia clamat aquas.
lumina sopitos turbant elata Quiritis,
omnis et insana semita nocte sonat.
illas direptisque comis tunicisque solutis
excipit obscurae prima taberna uiae.
Cynthia gaudet in exuuiis uictrixque recurrit
et mea peruersa sauciat ora manu,

50 et] nec *Burman* (*fort. recte: cf. enim Goold HStCPh 71 [1966] 60; Cynthia tamen, feminarum praesentiae ignara, de improuiso uenit; quod formula* nec mora *designat*) **51** tum L D Vo **54** palluerunque *Liuineius* (*prob. Goold HStCPh 71 [1966] 61; sed cf. B.-B. 166, Platnauer Lat. Eleg. 113, Pasoli Scr. A. Scolari 230*) palluerunt spisso *Heinsius*; *sed de hypallage cf. Sh. Bailey 257* **55** oculos F **56** spectaculum N P Vo : spectandum F (*corr.* F^4) D V; *uide app. ad u. 21* non F : ne L P D V (*corr.* V^2) **57** unguis] ignes Vo V^2 (*prob. Turpin REL 51 [1973] 164*); *cf. tamen Pinotti 157 adn. 145* **58** uicinis *Barber* clamat] petebat D : uocabat Vo V^2 "uicini", Teia clamat, "aquam!" *Palmer* (*prob. Goold HStCPh 71 [1966] 61, coll. Aristoph. Thesm. 241; cf. tamen Sh. Bailey 257, qui Eur. Phoen. 1154 et Quintil. decl. 12,6 confert; uide etiam Fraenkel ad Aesch. Agam. u. 48 et Pinotti 158*) **59-60** *post u.* 62 *transt. Burman* **59** lumina] crimina *Goold, coll. Ouid. ars 3,375*; *sed* lumina *faces puerorum, qui scorta comitantur, esse uidentur* **60** nocte] uoce *Fruter* (*prob. Goold HStCPh 71 [1966] 62, coll. 3,8,2; 4,1,134; Ouid. epist. 11,74*) **64** praeuersa *Guyet*; peruersa *def. Sh. Bailey 314* (*coll. Plin. nat. 10,38, Pallad. 2,15,4, Coripp. Ioh. 3,426*)

imponitque notam collo morsuque cruentat,
  praecipueque oculos, qui meruere, ferit.
atque ubi iam nostris lassauit bracchia plagis,
  Lygdamus ad plutei fulcra sinistra latens
eruitur, geniumque meum protractus adorat.
  Lygdame, nil potui: tecum ego captus eram.
supplicibus palmis tum demum ad foedera ueni[t],
  cum uix tangendos praebuit illa pedes,
atque ait: 'Admissae si uis me ignoscere culpae,
  accipe, quae nostrae formula legis erit.
tu neque Pompeia spatiabere cultus in umbra,
  nec cum lasciuum sternet harena Forum.
colla caue inflectas ad summum obliqua theatrum,
  aut lectica tuae se det aperta morae.
Lygdamus in primis, omnis mihi causa querelae,
  ueneat et pedibus uincula bina trahat.'
indixit leges; respondi ego: 'Legibus utar.'
  riserat imperio facta superba dato.

65 colla N **68** fulcra] fusca ω, *corr.* ς; *cf. Anderson ClR 3 (1889) 324* **69** exuitur Vo V^2 protactus F V : prostratus Vo F^4; *fort. recte: cf. Sen. Tro. 709, Housman Class. Pap. 341* **71** uenit ω, *corr.* ς **72** cur F : cui L P Δ (*prob. Housman Class. Pap. 290; sed cf. K.-St. II 340sq.*) **78** aut] nec *Lipsius* se det] sudet ω : sidat *Palmier, corr. Gruter*; sudet *defenditur a Rothstein II 321, cuius sententia lectica pro lecticariis sudare dicitur: sed nimis inepte* sudare tuae morae *dicitur, ut recte censet Leo Kl. Schr. II 193; interpretatio a Pasoli IV 69 allata* (mulier sudat, quae in lectica est) *prorsus improbabilis mihi uidetur* operta Vo V^2, *unde* nudet operta *coni. Koch* **80** uenerit P D V : uenerat Vo V^2; *cf. Tränkle 139* **81** legem N F L P D V (*prob. Rothstein II 322, qui u. 74 et 3,20,16 confert*) **82** risit at *Burman*; *sed cf. Platnauer Lat. Eleg. 113, Pasoli Scr. A. Scolari 230, Pinotti 164* rato *Heinsius*

dein, quemcumque locum externae tetigere puellae,
  suffiit, at pura limina tergit aqua,
imperat et totas iterum mutare lacernas,
  terque meum tetigit sulpuris igne caput.
atque ita mutato per singula pallia lecto
  respondi, et toto soluimus arma toro.

9

Amphitryoniades qua tempestate iuuencos
  egerat a stabulis, o Erythea, tuis,

83 dein] ue in F (*corr.* F^4) L P : ue D **84** suffiit, at] sufficat N F P L^2 : sufficiat L Vo P^2 V^2 : suffocat et D V : suffiit et *Beroaldus* : suffiit ac *Baehrens, corr. Hertzberg*; *de particula* at *conexiuo more usurpata ap. Prop. cf. 2,29,11; 3,3,36; 3,11,62; 4,2,47; 4,4,15; 4,6,59; 4,10,23* lumina F L P Vo; *sed cf. Weinreich Genethl. W. Schmid 357* **85** lucernas N Vo (*prob. Camps IV 135*) : laternas F P (*corr.* P^2); *cf. tamen u. 87 et uide Housman Class. Pap. 290, Pinotti 165 adn. 177* **88** despondi *Puccius* : et spondis *Markland* : descendi *Ferrarius* : re spondi *Owen* : ascendi *Koch* : escendi *Postgate in app.*; respondi *deff. Vahlen Ges. Phil. Schr. II 125, Rothstein II 323. 385; quod ad sensum uerbalis uocis adtinet, mea quidem sententia* respondi *idem ualet ac* satisfeci, *ut iam censuit Passerat: cf. Cic. fam. 15,21,3* (amori) amore respondebo *et Smyth ClQ 45 (1951) 78sq., qui Plaut. Mil. 962sq., Petron. 134 adfert; uide etiam Tränkle Herm. 96 (1968) 579sq.* toto] noto *Heinsius*; *intellege tamen* per totum torum uolutantes *et cf. Anth. Lat. 429,12 R.* exultet toto non requieta toro mouimus *Heinsius*; *quod adtinet ad* arma soluimus, *duplicem interpretationem Passerat attulit ("obscoene, arma quibus pugnatur in certamine nocturno, an pugnam et rixam omnem diremimus?"); cum Tränkle Herm. 96 (1968) 580–582 priorem praefero*

9 de hercule et cacho D V : *priori coniung.* N (*separ.* N^2: *cf. Birt XIII*) **2** o] hoc *uel* huc *Smyth* eritrea F L P : erythrae D : erithe(a)e V Vo

uenit ad inuictos pecorosa Palatia montis,
et statuit fessos, fessus et ipse, boues,
qua Velabra suo stagnabant flumine quaque
nauta per urbanas uelificabat aquas.
sed non infido manserunt hospite Caco
incolumis: furto polluit ille Iouem.
incola Cacus erat, metuendo raptor ab antro,
per tria partitos qui dabat ora sonos.
hic, ne certa forent manifestae signa rapinae,
auersos cauda traxit in antra boues;
nec sine teste deo: furem sonuere iuuenci,
furis et implacidas diruit ira fores.
Maenalio iacuit pulsus tria tempora ramo
Cacus, et Alcides sic ait: 'Ite boues,
Herculis ite boues, nostrae labor ultime clauae,
bis mihi quaesitae, bis mea praeda, boues,

3 uenit et aduictos N : uenit et adiutos F : uenit et ad iunctos L P : uenit˚et aduinctos D : uenit et adiunctos V : uenit in aductos Vo : uenit et adductos V^2 : uenit ut (et *Rothstein*; *sed cf. Leo Kl. Schr. II 194, Pinotti GIF 29 [1977] 51 adn. 4*) ad uictor *Heinsius* : uenit ad eductos *Lachmann* (*sed* eductus *i. e.* in altum euectus *nusquam alibi absolute usurpatur: cf. Fedeli 223*) : *alii alia*; *corr.* ς; *de structura cf. Pillinger HStCPh 73 (1969) 184* nemorosa V^2 (*prob. Enk Comm. crit. 342; cf. tamen Varr. ling. 5,53, Fest. ap. Paul. 245 L., Stat. Theb. 4,45*) **5** quam D V ue libra F L D V : ue labra Vo V^2 flumina N : fulmine F (*corr.* F^2) L P quoque ω, *corr.* ς **8** incolumes ς; *sed de nominatiuo plurali thematum in* -i *desinente in* -is *cf. Leumann Laut- und Formenlehre 275, Pasoli IV 69; cf. etiam 4,6,49* minantis **9** incola] insula ω : accola *Schrader* (*coll. Liu. 1,7,5* pastor accola eius loci, nomine Cacus), *corr.* ς; *cf. Rothstein II 326* **11** manifestaque *Luck, coll. Ouid. trist. 3,5,19* multaque praeterea manifestaque signa fauoris (*ubi tamen codices inter se discrepant*) **12** aduersos F P **14** at *Guyet*

aruaque mugitu sancite Bouaria longo:
nobile erit Romae pascua uestra Forum.'
dixerat, et sicco torquet sitis ora palato,
terraque non [n]ullas feta ministrat aquas.
sed procul inclusas audit ridere puellas,
lucus ubi umbroso fecerat orbe nemus,
femineae loca clausa deae fontisque piandos,
impune et nullis sacra retecta uiris.
deuia puniceae uelabant limina uittae,
putris odorato luxerat igne casa,
populus et longis ornabat frondibus aedem,
multaque cantantis umbra tegebat auis.
huc ruit in siccam congesta puluere barbam
et iacit ante fores uerba minora deo:

19 boaria ς; *cf. Varr. ling. 5,145sq., Ouid. fast. 1,581sq.* **20** erunt P^2; *sed praedicati numerus a nomine praedicatiuo pendet: cf. Uhlmann 17* **21** at *Housman*; *cf. 3,3,25* torret ς (*prob. Luck 400, qui confert Lucan. 9,744* pestis et in sicco linguam torrere palato / coepit; *sed* torquet *recte def. Housman Class. Pap. 341*) **22** non nullas ω : non uiuas *Richmond, corr.* V^2 feta] foeda *Auratus* : usta *Palmer*; *cf. Ouid. fast. 4,87, Stat. silu. 3,2,17 (cf. Sh. Bailey 315)*; feta *idem ualet ac* quamuis feta: *cf. 2,32,60; 4,4,89 et uide Bonner ClR 67 (1953) 14* ministret ω, *corr.* V^2 **24** lucus] lotos *Alton*; *sed cf. Lygd. 3,15, Ouid. ars 3,689, Sen. Herc. O. 956–958, Sil. 6,146sq. aliaque exempla a Sh. Bailey 258 allata* ubi] ab ω, *corr. Heinsius*; *codicum lectio re uera defendi potest (saepe enim ablatiuo instrumenti praepositio* a *additur: cf. Tränkle 88), sed distichi leges uiolat* **27** lumina F L P Δ (*corr.* V^2) uitr(a)e F L Δ : uite P F^4 **28** putris] turis *Heinsius*; putris *def. Sh. Bailey 259: cf. enim Hor. epist. 1,10,49; Lucan. 7,397; 8,403; Sen. epist. 30,2; 58,35; de adiectiuo* puter *cf. Grassmann Die erot. Epod. d. Hor. 49 adn. 17 et 18* **29** largis *Baehrens* : glaucis *Housman* (*prob. Sh. Bailey 259*); *tradita recte def. Williams Trad. and Orig. 650*

'Vos precor, o luci[s] sacro quae luditis antro,
pandite defessis hospita fana ui⟨r⟩is.
fontis egens erro circaque sonantia lymphis,
et caua succepto flumine palma sat est.
audistisne aliquem, tergo qui sustulit orbem?
ille ego sum: Alciden terra recepta uocat.
quis facta Herculeae non audit fortia clauae
et numquam ad uastas irrita tela feras,
atque uni Stygias homini luxisse tenebras?
[accipit haec fesso uix mihi terra patet]
angulus hic mundi nunc me mea fata trahentem
accipit: haec fesso uix mihi terra patet.

33 lucis ω, *corr.* ς **34** de fessis N L fana] uana ω : tecta *Pocchus, corr. Scaliger* uiris] uiis ω, *corr.* ς; *de plurali cf. Sen. Herc. f. 925, Friedrich RhM 68 (1913) 262, Jebb ad Soph. Oed. Col. 148* **35** (fontis . . . erro) *sic perperam dist. Rothstein II 330. 386; uide contra Leo Kl. Schr. II 194* circaque] circa antra *Burman* (*prob. Luck 400*) : circa arua *Baehrens*; *intellege tamen* et circa loca sonantia (*sc.* erro): *cf. Lin. 21,11,9; 28,20,3* **36** suscepto F L P Δ; *quod adtinet ad* succepto *cf. Serv. ad Verg. Aen. 6,249* succipiunt antique, nam modo suscipiunt dicimus; *cf. etiam Housman Class. Pap. 263 et de uoce* succipio *Norden Aen. 203, Tränkle 34* **38** alcide L Δ (*corr.* V^2) : alcides P recepta] suscepta N; *sed cf. Passerat 678: "uindicata, liberata, purgata a monstris. Recipitur idem quod amissum est, uel in amittendi periculum uenit"; cf. Manil. 4,51* post uictas Mithridatis opes pelagusque receptum **40** uatas N : natas F L P D^2 : uacuas D V : nocuas *Santen* (*prob. Housman Class. Pap. 290*) : tantas *Hertzberg*; *cf. 2,19,21* uastos ausim temptare leones *et adde Cic. diu. 1,49; rep. 2,48. 67; Verg. Aen. 8,295; Ouid. met. 2,194; 4,647; 11,366* **42** *hunc uersum (= 66), quem frustra mutare conati sunt nonnulli edd., del. iam Itali; cf. B.-B. 373, Fedeli 229* accipite ω (*prob. Rothstein II 330*) haec] et N : hic F D V (*corr.* F^4 V^2) uix] non *Santen* **65–66** *post u.* 42 *transt. Jacob* (*probb. Camps IV 142, Pasoli IV 69*) **65** nunc] non *Helmbold* facta Δ (*corr.* V^2)

quodsi Iunoni sacrum faceretis amarae,
non clausisset aquas ipsa nouerca suas.
sin aliquem uultusque meus saetaeque leonis
terrent et Libyco sole perusta coma,
idem ego Sidonia feci seruilia palla
officia et Lydo pensa diurna colo,
mollis et hirsutum cepit mihi fascia pectus
et manibus duris apta puella fui.'
talibus Alcides; at talibus alma sacerdos,
puniceo canas stamine uincta comas:
'Parce oculis, hospes, lucoque abscede uerendo;
cede agedum et tuta limina linque fuga.
interdicta uiris metuenda lege piatur
quae se summota uindicat ara casa.
magno Tiresias aspexit Pallada uates,
fortia dum posita Gorgone membra lauat.

43 quid si Δ; *quo probato post* amarae *interrogationis signum pos. Rothstein II 331*; *de uocis* quodsi *usu cf. Axelson Unpoet. Wört. 47* **45** aliquam P; *probb. Housman Class. Pap. 302, Luck 400; sed masculinum genus defendi potest: cf. enim Catull. 66,28, Ouid. epist. 12,75* **47** symonia N : sinonia F L P (*corr.* P^2); *cf. Ouid. epist. 9,101sq., Sen. Herc. f. 465–467* **48** collo D V **49** cepit] saepsit *Heinsius* : cinxit *Francius* **50** nec manibus duris apta quasilla tuli *Burman* (*prob. Enk Comm. crit. 346*); *tradita tuetur Ouid. epist. 9,65sq.* nec te Maeonia lasciuae more puellae / incingi zona dedecuisse putes? **51** ad F (*corr.* F^2) : et L **52** iuncta N L D V **54** lumina F L P D V (*corr.* F^4 P^2 V^2) **56** qua Vo V^2 **57** magnam ω, *corr. codd. Passeratii et Gebhardi*; *cf. enim de* magno *i. q.* magno pretio *Callim. hymn. 5,102* μισθῶ τοῦτον ἰδεῖν μεγάλω

di tibi dent alios fontis: haec lympha puellis
auia secreti limitis una f⟨l⟩uit.'
sic anus: ille umeris postis concussit opacos,
nec tulit iratam ianua clausa sitim.
at postquam exhausto iam flumine uicerat aestum,
ponit uix siccis tristia iura labris:
'Maxima quae gregibus deuota est Ara repertis,
ara per has' inquit 'maxima facta manus,
haec nullis umquam pateat ueneranda puellis,
Herculis aeternum ne sit inulta sitis.'
hunc, quoniam manibus purgatum sanxerat orbem,
sic Sanc[t]um Tatiae composuere Cures.

60 una] unda *Housman* (*Class. Pap. 39; cf. etiam eiusdem comm. ad Manil. 1,226*); *sed iam Vahlen Ges. Phil. Schr. II 115sq. recte statuit Propertium saepe nominatiuos uocum* unus *et* solus *propria relatione neglecta in sententiam ponere (cf. 2,16,12; 2,20,27; 2,33,41; 3, 7,42; 4,8,48): hic uerba* una puellis *idem ualent atque* unis puellis; *uide etiam Kroll Stud. 259 et Neumann 77* fuit ω, *corr. Fruter* **70** hercule N F L Δ (*corr.* V^2) : Herculea *coni. olim Housman, probb. B.-B. 373; fort. recte* aeternum] exterminium ω (*nisi quod* extremum P) : eximii V^2 : Oestrumni *Richmond* : exclusi *Owen* : *alii alia*; *corr. Heinsius*; *de usu aduerbiali uocis* aeternum *cf. Norden Aen. 241* ne sit] nescit N F L Δ (*corr.* V^2) : nec sit ς Herclei exterminium nec sit *Housman*
73–74 *post u.* 70 *transt. Schneidewin* (*probb. B.-B. 374, Camps IV 146, Fedeli 232; ordinem traditum deff. Pasoli IV 70, Pinotti GIF 29 [1977] 51sq.*) : *ante u.* 1 *transt. Richmond, prob. Goold HStCPh 71 [1966] 92sq., cuius sententia in Propertii carminum aetiologicorum initio* αἴτιον *semper inducitur: uiro docto Goold opponere possumus eum elegiae, quae Apollinis Naualis* αἴτιον *narrat, et Callimachi hymnorum (qui cum apostrophe* [χαῖρε] *ad deum finiunt; cf. etiam Verg. Aen. 8,301sq.) oblitum esse: cf. Abel Aured. 87 et adn. 30, Fraenkel Hor. 169, Pillinger HStCPh 73 (1969) 183* **73** hinc *Heinsius* : huic *Lütjohann* senserat V^2 **74** hic F P^2; *cf. Neumann 63 et adn. 1* sanctum ω, *corr. Heinsius*; *de uocibus* Sancus *et* sanctus *ad Herculem pertinentibus cf. Frazer IV 158sqq.; uide etiam Fedeli 233* Tatii *Scaliger* (*fort. recte: cf. enim Ouid. fast. 2,135* parui ... Cures); Tatiae *pro dat.* (*i. q.* feminis Sabinis) *hab. Schwering ThLL Onom. II 753,68; intellege tamen* Tatiae (*i. e.* Sabinae) Cures

sancte pater salue, cui iam fauet aspera Iuno:
Sanc[t]e, uelis libro dexter inesse meo.

10

Nunc Iouis incipiam causas aperire Feretri
armaque de ducibus trina recepta tribus.
magnum iter ascendo, sed dat mihi gloria uires:
non iuuat e facili lecta corona iugo.
imbuis exemplum primae tu, Romule, palmae
huius, et exuuio plenus ab hoste redis,
tempore quo portas Caeninum Acron[t]a petentem
uictor in euersum cuspide fundis equum.

71–72 sancte ... Sance] sancte ... sancte ω : Sance ... Sance *Richmond* : sancte ... Sance *accepi cum Camps IV 147 et Pasoli IV 70, coll. CIL IV 568* Sanco Sancto Semoni Dio Fidio sacrum; *quod adtinet ad* sancte pater salue *cf. e. g. Verg. Aen. 5,80* salue, sancte parens **72** adesse P; *cf. Ouid. fast. 1,6. 69 et uide contra Uhlmann 34*

10 de ioue fer(r)etrio D V : quare dicitur iupiter feretrius P : *priori coniung.* N **1** Feretri] fateri N; *de* Feretri *prosodia ap. Prop. cf. Lachmann ad Lucr. 5,1006 et de genetiui forma Sommer 339* **2** terna L (*corr.* L^2) P **5** induis F L P D V (*corr.* V^2) : imbius Vo; primus Romanos exemplo imbuis *interpretatur Kroll Stud. 260; hic tamen* imbuere *idem ualet atque* initiare: *cf. Ouid. ars 1,654, ThLL VII 429,26* **6** exuiuo N : eximio F V^2; *de* ἅπαξ exuuium *pro* exuuiae *cf. Tränkle 61, qui* deliciae / delicium *confert; adde* diuitiae / diuitia (*Acc. trag. 265 R^3*) **7** acronta ω, *corr. cod. Parn. bibl. Pal. 716*; *cf. CIL I 189, Plut. Rom. 16,9* **8** in euersum] nec uersum ω, *corr.* V^2

Acron Herculeus Caenina ductor ab arce,
Roma, tuis quondam finibus horror erat!
hic spolia ex umeris ausus sperare Quirini
ipse dedit, sed non sanguine sicca suo.
hunc uidet ante cauas librantem spicula turris
Romulus et uotis occupat ante ratis:
'Iuppiter, haec hodie tibi uictima corruet Acron.'
uouerat, et spolium corruit ille Ioui.
Vrbis uirtutisque parens sic uincere sueuit,
qui tulit a parco frigida castra lare.
idem eques et frenis, idem fuit aptus aratris,
et galea hirsuta compta lupina iuba.

13 nunc Δ (*corr.* V²) uibrantem ς **14** rates N F L Δ : ratus P : lates F⁴ : deos D², *corr.* P²; *cf. Ouid. am. 3,2,80sq.; Ib. 97; Lucan. 7,34; Stat. Theb. 1,239* arte ratis *Richmond*; *de* ante *aduerbialiter usurpato cf. 2,28,61; 3,16,16; 4,2,46* **15** hic P, *quo probato* hic ... corruat *coni. Heinsius* **17** uirtutemque F L P Vo (*corr.* F⁴ P²) : uirtutumque D V (*corr.* V²); uirtutumque *deff. Housman Class. Pap. 290 (coll. Catull. 68,90, Verg. Aen. 1,566; sed uide contra Sh. Bailey 260), Enk Mn S. IV 2 (1949) 160 (cf. iam Comm. crit. 347); uide tamen La Penna SIFC N. S. 25 (1951) 237, Fedeli 237* parem F (*corr.* F⁴) L P : pares V²; *cf. Liu. 1,16,3* regem parentemque urbis Romanae, *1,16,6* Romulus ... parens urbis huius *et Ogilvie, A Commentary on Livy. Books 1-5, Oxford 1965, 86* sit N (*corr. ead. man.*) **18** a parco] aporco N F V : a porco L P D : aprico F⁴ P² V² (*sed cf. Spandau Serm. Prop. 42*) : apto Vo : a prisco ς : e paruo *L. Müller, corr. Jacob*; *cf. Bentley ad Hor. epist. 1,7,58 et plurima exempla a Nisbet-Hubbard Hor. 161 allata* **19** eques, e frenis *Postgate* : eques effrenis (*sc.* equis) *Richmond*; *intellege tamen* idem et eques frenis et (arator) aratris aptus fuit; *de particulae* et *ellipsi cf. Ouid. fast. 6,224, Plin. epist. 7,4,6* **20** nec *Housman*; *sed cf. Sh. Bailey 261* **21** parma] flammae Vo V² piroto N F L P; *cf. Neumann 88sq., La Penna SIFC N. S. 25 (1951) 208*

picta neque inducto fulgebat parma pyropo:
praebebant caesi baltea lenta boues.
Cossus at insequitur Veientis caede Tolumni,
uincere cum Veios posse laboris erat,
necdum ultra Tiberim belli sonus, ultima praeda
Nomentum et captae iugera terna Corae.
heu Vei ueteres! et uos tum regna fuistis
et uestro posita est aurea sella foro:
nunc intra muros pastoris bucina lenti
cantat, et in uestris ossibus arua metunt.
forte super portae dux Veiens astitit arcem
colloquiumque sua fretus ab urbe dedit:
dumque aries murum cornu pulsabat aeno,
uinea qua ductum longa tegebat opus,

23 colum(p)ni F L P V (*corr.* V²) Vo : calumni D : coloni F² **25-26** *post u.* 22 *transt. Passerat* (*probb. B.-B. 376*); *cf. tamen W. A. Baehrens Ph 72 (1913) 277, La Penna Athen. N. S. 35 (1957) 145* **26** capta N F L P V²; *cf. Neumann 88* terna] terra ω : parua V² : trina *Heinsius, corr. cod. Harl. 5246*; *pace uiri docti Sh. Bailey, qui (p. 262) de uiritim diuisione cogitat, hic* terna *idem ualet ac* tria (*cf. commentarium meum ad 4,8,80*) *i. e.* pauca: *cf. enim, quod adtinet ad* tria = pauca, *Plaut. Mil. 1020, Trin. 963, Ter. Phorm. 638, Ouid. Pont. 4,3,26, Quintil. inst. 9,4,78, Mart. 13,124,2* **27** heu] ę N : e F : et L P Δ F² : o P² *in mg., corr. Lütjohann*; *de interiectione* heu *cf. Grassmann Die erot. Epod. d. Hor. 99* **29** laeti ς : lente *Barber*; *sed cf. Ouid. met. 9,347* **30** metum L P **31** ueius (uey-) ω, *corr. Dempster*; Veius *enim ex duabus syllabis constat: cf.* (*troch.*) *ap. Hor. epod. 5,29.* Veius *et* Maius *apud Martialem defenduntur a L. Müller De re metrica 310 (cf. etiam Housman Class. Pap. 1064); at uide Heraeus (ad Mart. 13,74,1; RhM 74 [1925] 335 adn. 1), qui* Veius dux *coni.* **32** sua] situ *Richmond* : suis *Barber*; *de uoce* fretus *absolute usurpata cf. ThLL VI 1317,54-56, Sh. Bailey 262* **34** regebat F Δ (*corr.* V²)

Cossus ait: 'Forti melius concurrere campo.'
  nec mora fit, plano sistit uterque gradu⟨m⟩.
di Latias iuuere manus, desecta Tolumni
  ceruix Romanos sanguine lauit equos.
Claudius a⟨t⟩ Rheno traiectos arcuit hostis,
  Belgica cui uasti parma relata ducis:
Virdomari; genus hic Rheno iactabat ab ipso,
  mobilis e recti⟨s⟩ fundere gaesa rotis.

35 fortis (= fortes) *Markland* forti ... campo *cum Rothstein II 339 def. Tränkle 78, coll. Hor. sat. 1,10,43* forte epos: *uide tamen quae in commentario meo ad u. 35 adnotaui; mea sententia recte interpretatus est Passerat 691: "melius est (uiro) forti descendere in planitiem": cf. enim 4,6,45* turpe (*sc.* est) Latinis **36** gradu ω, *corr.* ς; *cf. Verg. Aen. 6,465, Ouid. epist. 13,102, Liu. 9,2,10, Sil. 10,367, Sen. epist. 40,7* **37** di Latias] romuleas F (*corr.* F^4) D, *unde* di Remulas *coni. Housman* columni L P Δ (*corr.* V^2) : tolinum F (*corr.* F^2) **39** at] a ω, *corr. Barber*; *cf. enim u. 23* Eridano *Passerat* : a Rhodano *Postgate dub.*; *sed cf. B.-B. 378* **40** cui] cum ω, *corr. Guyet* (*prob. Luck 400*); *non ignoro* cum *defendi posse; sed dat. auctoris meliorem praebet sensum* **40-41** ducis: Virdomari; *sic recte dist. Fraenkel Kl. Beitr. I 79sq.; de interpunctione* κατὰ τὸν πρῶτον χορίαμβον *cf. Norden Aen. 139. 179* **41** uirtomane N^{vt}: uirtomani N^{corr} : uutomani F : untoniani L Δ : uircumani P : butoniam D^2 : uir romari V^2, *corr. Itali* Rheno] brenno *Heinsius* (*probb. Rothstein II 387, Luck 400*); *cf. tamen D'Arbois de Jubainville CRAI S. IV 17 (1890) 111-114, Birt RhM 51 (1896) 528sq.* **42** nobilis P^2 (*haud dubie e u. 41*); *de uoce* mobilis + *inf. cf. Pers. 1,59* erecti N F^4 : effecti F L P Δ : erepti V^2 : erectis ς, *corr.* P^2; euectis *coni. Rothstein* (*coll. 3,3,21*) : e uectis *Baehrens* : e Rhaetis *Alton* (*prob. Luck 400*); *intellege* e rotis quas ipse regebat. *Sh. Bailey 262 necessarium putat* ab ipso; *sed cf. 2,24,46; 4,5,13; 4,7,2* c(a)esa ω : gessa V^2, *corr.* F^4; *cf. Seru. ad Verg. Aen. 7,664*

illi uirgatis iaculanti ante agmina bracis
  torquis ab incisa decidit unca gula.
nunc spolia in templo tria condita: causa Feretri,
  omine quod certo dux ferit ense ducem;
seu quia uicta suis umeris haec arma ferebant,
  hinc Feretri dicta est ara superba Iouis.

11

Desine, Paulle, meum lacrimis urgere sepulcrum:
  panditur ad nullas ianua nigra preces;
cum semel infernas intrarunt funera leges,
  non exorato stant adamante uiae.

43 illi uirgatis (iurgatis N F^2 : nigratis F [*corr.* F^4]) iaculantis ab agmine (agmina N : inguine P^{corr}) brac(h)is (brutis L) ω, *corr. Kraffert*; *uaria coniec. uiri docti, e. g.* illic (illi *Schrader, prob. Goold HStCPh 69 [1965] 95; 71 [1966] 89*) uirgatas maculanti sanguine bracas *Waardenburgh* : illi ut uirgatis iaculans it ab agmine bracis *Postgate*; *tradita def. Löfstedt Synt. I 235sq., qui de dat. cum genet. coniuncto cogitat, coll. 4,7,23; cf. tamen app. ad loc.; tradita def. etiam Pasoli Euphr. 2 (1959) 95. De corruptelae origine cf. Fedeli 243* **45** nunc] nec F L : h(a)ec P D Vo F^3 : hinc V^2 haec ... condi causa Feretri *Phillimore* **46** omine] crimine F L P Δ (*corr.* V^2); *cf. Val. Max. 1,5,4; Val. Fl. 5,211; Sh. Bailey 263* **47** uecta *Damsté* huc *Broukhusius*

11 ad paulum D V : epigramma ad paulum V^2 : *priori coniung.* N; *uersuum ordinem multis modis mut. nonnulli uiri docti: cf. e. g. Goold* (1, 6, 7, 4, 5, 2, 3, 8) *et uide Smyth Thes. crit. 157* **3** leges] sedes *Heinsius*; *prob. Goold HStCPh 71 (1966) 90sq., fort. recte: nam* intrare infernas leges *tantummodo Petr. Chrys. serm. 63 p. 376 A Migne* (ante ... quam tota mortuus iura mortis intret) *tuetur; haec tamen dicendi libertas apud Propertium minime displicet*

te licet orantem fuscae deus audiat aulae:
nempe tuas lacrimas litora surda bibent.
uota mouent superos: ubi portitor aera recepit,
obserat herbosos lurida porta rogos.
sic maestae cecinere tubae, cum subdita nostrum
detraheret lecto fax inimica caput.
quid mihi coniugium Paulli, quid currus auorum
profuit aut famae pignora tanta meae?
non minus immitis habuit Cornelia Parcas:
et sum, quod digitis quinque legatur, onus.
damnatae noctes et uos, uada lenta, paludes,
et quaecumque meos implicat unda pedes,
immatura licet, tamen huc non noxia ueni:
det Pater hic umbrae mollia iura meae.

5 te] nec *Helmbold* **8** erbosos F (*corr.* F^3) : umbrosos Δ (*sed cf. Neumann 82*) : abrosos *Phillimore in app., qui etiam* euersos *coni.* (*prob. Camps IV 154*) : os Erebi *Sh. Bailey*; *Rothstein II 346 iure adfert CIL XI 5357* hic iacet, at uiridi requiesce, uiator, in herba locos *Liuineius*; *sed hic* rogus *metonymice usurpatur idemque ualet ac* sepulcrum: *cf. 3,7,10* **9** sic] sat *Dousa*; *cf. tamen B.-B. 380* **11** paule Δ (*corr.* V^2) **13** num F L P (*prob. Rothstein; sed cf. E. Reitzenstein Elegie 21*) : nun V habui ς (*prob. Rothstein II 348*); *cf. tamen uu. 43-44* **14** et ... legatur] en ... leuatur ς (*prob. Rothstein II 348*); *uide contra E. Reitzenstein Elegie 21* **15** noctes] testes *Housman* : nocti set *Sandbach*; *cf. tamen Goold HStCPh 71 (1966) 85, qui* tenebris *coni., coll. Lucan. 9,986. Claud. 1,43*; damnatae noctes *i. q.* damnatarum noctes *iure defenditur a Sh. Bailey 263: cf. Tib. 1,3,67* scelerata sedes, *Verg. Aen. 6,563* sceleratum ... limen, *Mart. 1,15,7* catenati ... labores paludis *Santen*; *sed iunctura* uada lenta *appositio ad uocem* paludes *est* **17-76** *om.* N *uno folio interciso* **18** dat V^2 huic P; *quo retento* deprecor huic *coni. Koppiers* (*prob. Goold HStCPh 71 [1966] 85*); Pater *tamen neque Iouem neque Corneliae parentem, sed Plutonem designat, qui* hic, *i. e. apud inferos, iura dat*

aut si quis posita iudex sedet Aeacus urna,
in mea sortita iudicet ossa pila:
assideant fratres, iuxta et Minoida sellam
Eumenidum intento turba seuera foro.
Sisyphe, mole uaces; taceant Ixionis orbes;
fallax Tantaleu⟨s⟩ corripiare liquor;
Cerberus et nullas hodie petat improbus umbras,
et iaceat tacita laxa catena sera.

19 aut] at *Berolin. Diez. B. 53*; *mea sententia non recte iudicat Enk Comm. crit. 353, qui* "aut ... si poena digna sum" *interpretatur; contra* "aut si Aeacus, pro Plutone, iudex sedet" *intellegendum est* uindex *Camps* (*coll. Catull. 64,192sq.*) **20** is mea *Heinsius* (*fort. recte*) : in me *Fontein*; *de uerborum conexu cf. H.-Sz. 693* iudicet L Δ μ υ P^2 : uindicet F P (*prob. Sh. Bailey 264, qui Apul. met. 2,27. S. H. A. Aur. 12,4, Iust. 37,3,8 adfert*); *haec tamen sententia Corneliae minime conuenit; cf. contra de nexu* iudex iudicat *Camps CIR 75 (1961) 105, Goold HStCPh 71 (1966) 86* **21** fratres iuxta minoia (-ya) sella F L P D (*quod in commentario meo probaui, cum Rothstein II 350* et adsit *in pentametro simul audiens*) : fratres iuxta minoia (-ya) sella et V Vo μ υ P^2 (*probb. Camps IV 157sq. et Pasoli IV 71, qui uerba* iuxta Minoia sella *per parenthesin interposita esse censent; uide tamen de* et *in hexametri exitu Lachmann ad Lucr. 2,502, Housman Class. Pap. 343; Camps IV 57 adfert 2,25,17, ubi tamen de pronomine* qui *agitur*) : fratrem iuxta et Minoida sellam *Boot* : fratrem iuxta Minoia sella, et *Palmer* (*prob. R. Reitzenstein Hell. Wund. 165*) : *alii alia*; *corr.* ς (*sed* et *post* iuxta *transt. Itali*); *quod ad* Minoida *adtinet, cf. B.-B. 381* **24** tantaleo F L P Δ μ υ, *corr.* ς; *de corruptelae origine cf. B.-B. 381* Tantaleo corripere ore *Auratus* (*prob. Goold HStCPh 71 [1966] 65sq.*); *uide tamen, de parum probabili imperatiui passiui usu, Rothstein II 387* **26** lapsa F : lassa P; lapsa *prob. Rothstein II 351; cf. tamen Sen. dial. 7 (= uit. beat.),16,3; 9 (= tranq. an.),10,3*

ipsa loquor pro me: si fallo[r], poena sororum
infelix umeros urgeat urna meos.
si cui fama fuit per auita tropaea decori,
Afra Numantinos regna loquuntur auos:
altera maternos exaequat turba Libones
et domus est titulis utraque fulta suis.
mox, ubi iam facibus cessit praetexta maritis,
uinxit et acceptas altera uitta comas,
iungor, Paulle, tuo sic discessura cubili:
in lapide hoc uni nupta fuisse legar.
testor maiorum cineres tibi, Roma, colendos,
sub quorum titulis, Africa, tunsa iaces,

27 loquar ς (*quod iure refellit Kraus WSt 79 [1966] 405*) fallor F L P Δ μ υ, *corr.* ς **29** troph(a)ea decori μ υ : decora troph(a)ei F L P Δ (*unde* decora tropheis *coni. Pucci*) : fama decori V^2 : trophaea decorum *Peerlkamp*; *cf. Ouid. met. 13,849, Claud. carm. min. 17,215* **30** *om.* F *spatio relicto* (*suppl.* F^4) Afra] (a)era μ υ F^4 V^2 : et L P Δ : uersa *uel* atra ς : nostra *Baehrens, corr. Scaliger*; *cf. Claud. carm. min. 30,42sq.* claram Scipiadum taceat Cornelia gentem / seque minus iactet Libycis dotata trophaeis nostra ... signa *Baehrens* (*prob. Housman Class. Pap. 332*) : aera ... nostra *Palmer* (*prob. Goold HStCPh 71 [1966] 70sq.*) : Afra ... aera *E. Reitzenstein* **31** turba] uirga *Peerlkamp* : libra *Richmond*; *intellege tamen* altera turba (*sc.* maiorum) exaequat Libones, maternos auos, paternis auis ligones F L P Δ μ υ, *corr.* ς **34** uitta Δ : uicta F L P μ υ; *cf. Fedeli 252* **35** sic] mox *Schippers*; *collato u. 36 intellege tamen, cum Passerat 701: "abitura e lecto et domo tua non diuortio sed morte"* **36** in] ut *Graeuius* (*prob. Goold HStCPh 71 [1966] 88*) huic *Marcilius*; *sed cf. Vahlen Opusc. I 112* **37** uerendos ς **38** tonsa ς; *prob. Rothstein II 353, coll. Ouid. epist. 11,115sq.; cf. tamen B.-B. 382, E. Reitzenstein Elegie 32* iacet ς *post u.* 38 *distichon excidisse putat Munro*

et Persen proaui s[t]imulantem pectus Achilli,
quique tuas proauo fregit Achille domos,
me neque censurae legem mollisse neque ulla
labe mea uestros erubuisse focos.
non fuit exuuiis tantis Cornelia damnum:
quin et erat magnae pars imitanda domus.
nec mea mutata est aetas, sine crimine tota est:
uiximus insignes inter utramque facem.
mi natura dedit leges a sanguine ductas,
ne⟨c⟩ possis melior iudicis esse metu.

39-40 *hos uersus, inter Propertii difficillimos, multis modis emendauerunt aut interpretati sunt uiri docti: cf. in primis Rothstein II 387, B.-B. 382sq., Camps IV 159sq., Pasoli IV 71 et nuperrime E. Reitzenstein Elegie 435. Ego autem eandem interpretationem sequor, quam in commentario meo (p. 253) recepi* **39** et Persen] te, Perseu *Boot* persen L μ υ F^4 : persem Δ : proseu F : perseu P proaui L P Δ μ υ F^4 : proam F : proauo *Lipsius* stimulantem F L P Δ μ υ (*cf. fortasse Sil. 14,93–95*), *corr.* ς; *cf. Verg. Aen. 6,838sqq. et Norden Aen. 331sq.* achillis V^2 (*de hac genetiui forma cf. tamen Leumann Kl. Schr. 108–130*) : Achille *Lipsius* **40** quodque L^2 tuas] truces *Schneidewin* : tumens *Postgate* : suas *Barber* proauo F L P Δ : proauus V^2 : proauos μ υ (*prob. Housman Class. Pap. 40, qui* proauos *pro nominat. interpretatur*) Auerne *Munro* : Achiue *Richmond*; *concessiua uis in abl.* proauo Achille *inest* **42** nostros ς **43-44** *post u.* 32 *transt. Peerlkamp* (*prob. Goold HStCPh 71 [1966] 101*) **43** non fuit μ υ F^4 P^2 V^2 : ton fuit F L P : confuit Δ exuuiis P μ υ V^3 : exuuii L V Vo F^4 D^2 : eximii F D tantis P μ υ V^2 : stantis F L Δ damnum F L P μ υ V^2 : damni Δ (*corr.* V^2) **45-46** *post u.* 36 *transt. Housman* **46** insignes μ υ F^4 P^2 V^3 : insignem F L P Δ **48** ne possis F L P Δ μ υ (*prob. Camps IV 160; sed uide contra E. Reitzenstein Elegie 36*) : ne possim V^2 : ne possem P^2 (*def. Spandau Serm. Prop. 22*) : nec possim *ed. Ald. a. 1502, corr. Berolin. Diez. B. 53*; *cf. B.-B. 383*

quaelibet austeras de me ferat urna tabellas:
turpior assessu non erit ulla meo,
uel tu, quae tardam mouisti fune Cybeben,
Claudia, turritae rara ministra deae,
uel cuius cassos cum Vesta reposceret ignis,
exhibuit uiuos carbasus alba focos.
nec te, dulce caput, mater Scribonia, laesi:
in me mutatum quid nisi fata uelis?
maternis laudor lacrimis urbisque querelis,
defensa et gemitu Caesaris ossa mea.
ille sua nata dignam uixisse sororem
increpat, et lacrimas uidimus ire deo.
et tamen emerui generosos uestis honores,
nec mea de sterili facta rapina domo.
tu, Lepide, et tu, Paulle, meum post fata leuamen,
condita sunt uestro lumina nostra sinu.

49 quamlibet ς (*prob. Luck 400; uide tamen E. Reitzenstein Elegie 37*) **50** as(s)ensu F L P Δ μ υ : ascensu V^2 : accensu *Housman, corr.* ς; *de* ἅπαξ *agitur, quod per analogiam cum uoce* consessus *Propertius expressit* **52** claudia P υ L^2 V^3 : gaudia F L Δ μ : glaudia F^2; *cf. Ouid. fast. 4,297sqq., Sil. 17,23sqq., Suet. Tib. 2,3* **53** cuius cassos] cuius rasos F L P Δ : cuius iasos μ υ : cuius castos *Markland* : cuius sacros *Rothstein* : cui iuratos *Butler* : cuius stratos *Sh. Bailey* : cui iusta suos *Camps* : cuius seros *Clausen* : cui iussa suos *E. Reitzenstein* : cui, casta suos *Cicerale GiornFilFerr 2 (1979) 79–81* : *alii alia*; *ipse correxi, coll. Ouid. rem. 446* cassa . . . diducto stipite flamma perit, *Sil. 5,572* ignis iners cassamque dabat sine robore flammam **61** generosae *Turnebus*; *intellege tamen* generosarum uestis (*sc.* stolae) honores *et cf. Ouid. hal. 66* generosus (*i. q.* generosorum) honos **63–64** *post u.* 74 *transt. Housman* **63** te . . . te F L P Δ μ υ, *corr.* ς; te . . . te *def. Rothstein II 357, qui accusatiuos ad uoces* generosos uestis honores *referri putat; cf. tamen E. Reitzenstein Elegie 43* **64** uestro *om.* F (*add.* F^4) L

uidimus et fratrem sellam geminasse curulem;
consule quo facto tempore rapta soror.
filia, tu specimen censurae nata paternae,
fac teneas unum nos imitata uirum.
et serie fulcite genus: mihi cumba uolenti
soluitur aucturis tot mea fata meis.
haec est feminei merces extrema triumphi,
laudat ubi emeritum libera fama rogum.
nunc tibi commendo communia pignora natos:
haec cura et cineri spirat inusta meo.
fungere maternis uicibus pater: illa meorum
omnis erit collo turba ferenda tuo.
oscula cum dederis tua flentibus, adice matris:
tota domus coepit nunc onus esse tuum.

65–66 *post u.* 60 *transt. Lütjohann, post u.* 46 *Richmond, post u.* 98 *Housman* **66** facto] fausto *Peerlkamp* : festo *Koppiers* consul quo factus *Lachmann*; *tradita def. Muller Mn 59 (1931) 238, cuius sententia hic duarum structurarum contaminationem habemus* ("qui, *i. e.* frater, quo tempore consul factus est, rapta soror"; "quo, *i. e.* fratre, consule facto, eo tempore rapta soror est") *et E. Reitzenstein RhM 112 (1969) 138, qui* tempore = in tempore *interpretatur* **67** specimen V Vo μ υ P^2 D^2 : speciem F L P D; *cf. Camps IV 163* **68** unum *om.* F L P (*suppl.* F^4 P^{corr}) **70** uncturis L P Δ μ υ (*prob. Rothstein II 360*) : nupturis F : lucturis *ed. Eton., corr.* ς; *cf. Tib. 1,7,55sq.* at tibi succrescat proles, quae facta parentis / augeat facta ς; *probb. B.-B. 385 et Housman Class. Pap. 319, qui Tib. 1,7,55 adferunt: ego uero quae sint Corneliae* facta *intellegere nequeo* meis] malis F L P Δ μ υ, *corr. ed. Brix.* **71–72** *post u.* 68 *transt. Baehrens* **72** torum *Koppiers*; *prob. Goold HStCPh 71 (1966) 91; sed* torum *iure reiecit iam Buecheler Kl. Schr. I 417, qui* iugum (*i. q.* coniugium) *coni.*; rogum *tamen recte tuetur Camps IV 164* **77** mater ω, *corr.* ς

et si quid doliturus eris, sine testibus illis!
cum uenient, siccis oscula falle genis!
sat tibi sint noctes, quas de me, Paulle, fatiges,
somniaque in faciem credita saepe meam:
atque ubi secreto nostra ad simulacra loqueris,
ut responsurae singula uerba iace.
seu tamen aduersum mutarit ianua lectum,
sederit et nostro cauta nouerca toro,
coniugium, pueri, laudate et ferte paternum:
capta dabit uestris moribus illa manus;
nec matrem laudate nimis: collata priori
uertet in offensas libera uerba suas.
seu memor ille mea contentus manserit umbra
et tanti cineres duxerit esse meos,
discite uenturam iam nunc sentire senectam,
caelibis ad curas nec uacet ulla uia.
quod mihi detractum est, uestros accedat ad annos:
prole mea Paullum sic iuuet esse senem.
et bene habet: numquam mater lugubria sumpsi;
uenit in exsequias tota caterua meas.

79 si quis ω : si qui *E. Reitzenstein, corr.* V^2 erit ω, *corr.* V^2 **81** sunt F L P D V fatigas Δ **84** iace] tace ω, *corr.* ς; tace *def. Rothstein II 362, cuius sententiam Pasoli IV 72 secutus est; cf. tamen 2,1,77* talia ... illacrimans mutae iace uerba fauillae *et Leo Kl. Schr. II 193* **88** nostris F **89** minus F (*corr.* F^4) **91** nec F (*corr.* F^4) **92** dixerit L P Δ (*corr.* D^2); *cf. 3,12,3* **93** sentire] lenire *Schrader* (*prob. Luck 400*); *cf. Ouid. ars 3,59* uenturae memores iam nunc estote senectae **94** ualet ulla uias N **95** nostros F L **97–102** *post u. 72 transt. Schrader* **97** et] si V^2 : sed ς numquam numquam F L : numquam umquam P V Vo (*corr.* P^2 V^2) : nuquam uuquam D lubrigia N V^2 : lubrica F L P Δ : subrigia P^2, *corr.* ς; *cf. Ouid. trist. 4,2,73; met. 11,669; Sen. dial. 11 (= Helu.),16; Herc. f. 626* sumptum ω, *corr.* ς matri (matris *Havet*) lugubria sumpta *Baehrens*

causa perorata est. flentes me surgite, testes,
dum pretium uitae grata rependit humus.
moribus et caelum patuit: sim digna merendo,
cuius honoratis ossa uehantur auis.

102 uehuntur F L Δ (*corr.* V^2) auis] aquis N F L P V^2 : equis Δ P^2, *corr. Heinsius*; aquis *nonnulli uiri docti defendere conati sunt: cf. in primis Axelson Ouidiana 128, qui 4,6,58* sceptra per Ionias fracta uehuntur aquas *confert, et Waszink Mn S. IV 2 (1949) 70, cuius sententia* honoratae aquae = aquae honoratorum, honoratis destinatae. *Heinsii coniecturam mea sententia optime tuentur Haupt Opusc. I 345, Housman Class. Pap. 302, Leo Kl. Schr. II 193, Williams Trad. and Orig. 399sq.; quos sequor, cum maximi momenti sit haec auctoris Consolationis ad Liuiam (uu. 329sq.) imitatio*: ille pio, si non temere haec creduntur, in aruo / inter honoratos excipietur auos

explicit N : explicit liber propertii ultimus F : explicit deo gratias L : propertii aurelii naute liber quartus et ultimus ad tullum explicit P : propertii aurelii nautae umbrii monobiblos feliciter explicit D : finis Vo : *subscriptione caret* V

SEXTI PROPERTI

ELEGIARVM LIBRI IV

EDIDIT

PAVLVS FEDELI

STVTGARDIAE IN AEDIBVS B.G.TEVBNERI MCMLXXXIV

SUNY ALBANY
UNIVERSITY LIBRARY